

Collegii S. I. Duxfeldensis

Ex Typogra
Joh

B.R.A.

DOO

Publico

Opera 8

DIA

AMAT

DISCI

SAN

PH

DIALOGUS
INTER
AMATOREM VERITATIS
ET
DISCIPULUM LULLIANÆ
DOCTRINÆ,
DE
SANCTITATE VITÆ
ET
PRÆSTANTIA
DOCTRINÆ
B.RAYMUNDI LULLI
DOCTORIS ILLUMINATI
ET
MARTYRIS

Publico Litterario Communicatus
Operâ & studio Discipuli ejusdem Illuminati
Doctoris.

MOGUNTIAE,

Ex Typographo Electorali Aulico-Academico, per
Joannem Henricum Hæffner, 1740.

P
n
S
Doctrin
ex alti
cipaz
materi
prelo
censeo

1740.

2000 A.D.

SECRETARIA
ESTATE OF AMERICA

MARYLLE

1740. Dideric Commissie
1740. Dideric Commissie
1740. Dideric Commissie
1740. Dideric Commissie

Præsentem Dialogum, cùm sit
non tantùm conformis Sacræ
Scripturæ, SS. Patribus, Sanæ
Doctrinæ ac Rationi; Verumetiam
ex altissimis Sapientiæ principiis Præ-
cipuas quasdam Sacræ Theologiæ
materias demonstret & elucidet:
prelo & luce publicâ dignissimum
censeo. Moguntiæ die 30. Martii,

1740.

PHILIPPUS FRANCISCUS
JÆGER, J. U. Doctor,
*Eminent. ac Celsiss. Archi-Episcopi
& Principis Electoris Moguntini
Consiliarius Ecclesiasticus & Fis-
calis Major, Insignium Collegia-
tarum Sancti Petri & Joannis
Moguntiæ, uti & ad SS. Petrum
& Alexandrum Aschaffenburgi
Canonicus Capitularis & respecti-
vè Decanus Librorum Censor or-
dinarius.*

BENE-

BENEVOLO LECTORI.

Cum Amator Veritatis habitâ amicabili con-
ferentiâ cum Discipulo Illuminati Docto-
ris & Martyris B. Raymundi Lulli, absolute
voluerit dare publicâ luci præsentem libellum
continentem ea, quæ ipsi, & cuilibet alio benevo-
lo sufficiunt ad videndum præstantiam Lullianaæ
Doctrinæ; & aliunde considerem non parvum
damnum sequi publico Literario ex insufficienti
informatione & ignorantia Sanctitatis & in-
tegritatis Authoris & præstantiæ & intelligibili-
tatis Doctrinæ ipsius, condescendere debere ju-
dicavi huic bona intentioni, & assumere hunc
laborem libenter decrevi. Et, si forte alicui
videretur insufficientis hac præsens informatio,
præsertim quantum ad ea, quæ historicè dicun-
tur simpliciter, sicut à Discipulo dicta sunt A-
matori Veritatis, in alio simili libello superad-
detur non solum sufficientis, sed & abundans
probatio omnium, quæ in isto libello desiderari
possunt. Puto tamen, quod hoc non erit ne-
cessarium, & vellem me excusare ab isto labore,
quia probationes de necessitate erunt aliquibus
valde acres & displices; & spero quod ea,
quæ in hoc Libello dicuntur, simul cum illis, quæ
in 1. Tom. Magni Operis continentur, erunt
omnibus sufficientia. Si autem aliter eveniret,
ero obligatus, ad defendendum veritatem &
justitiam, producere & propalare falsitates &
injurias & Authores earum; & quibus non
placebit, erit necesse habere patientiam.

AMA
DISCIP

gaudeo de si
in hilaritate
Dominacione
vate dignetur
Discipulus
ex corde Vest
sit, quare, & i
mili non ell
Amator Pe
veni a terris re
ab uno dubio
tate multo tem
Discipulus
An non potera
alis delideratam
sori & expensis
anto invenire?

DIALOGUS INTER AMATOREM VERITATIS ET DISCIPULUM LULLIANÆ DOCTRINÆ.

Amator Veritatis.

Admodum Reverende Domine, congratulor mihi summopere, quod potuerim DEO dante pervenire ad conferendum cum Vesta Dominatione, quia diu hoc desideravi; & gaudeo de sua bona salute, quæ satis manifestatur in hilaritate vultus sui, & oro DEUM, ut Vestram Dominationem in sua gratia prosperare & conservare dignetur.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Similia appreco ex corde Vestrae Dominationi, & scire cupio quis sit, quare, & unde ad me venerit? Videtur enim mihi non esse hujus regionis.

Amator Veritatis. Sum Amator Veritatis, & veni à terris remotis ad Vestram Dominationem, ut ab uno dubio me liberet, quod in magna anxietate multo tempore me tenuit & adhuc tenet.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Quare ad me? An non poterat Vesta Dominatione impetrare ab aliis desideratam solutionem, & sic pepercisset labori & expensis, quas sine dubio fecerit multas in tanto itinere?

A

Amator

Amator Veritatis. Putavi in mea regione non posse resolvi à dubio, probavi enim quosdam, & nullum inveni, qui mihi potuerit aliquid dicere, nisi ex sola credulitate; & hoc adhuc valde diversimodè; quia quidam dicebant mihi unum, & alii totum oppositum.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Quomodo hoc est possibile? An in regione Vestra Dominationis non sunt Viri Sapientes?

Amator Veritatis. Sunt quidem, & multi; sed non in re, de qua dubito.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Quomodo est possibile inter multos Sapientes nullum inveniri, qui sapienter possit solvere unum dubium? Est ne istud de re rara & inaudita, vel totaliter ignoratæ?

Amator Veritatis. Possibile est, & actuale; & non est meum dubium de re inaudita, imò est de re, de qua frequenter loquuntur multi.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Fateor me non posse hoc comprehendere; & ideo rogo Vestram Dominationem, ut clarius loquatur, & indicet: in quo consistat suum dubium.

I. *Amator Veritatis.* Dubium est, an Ars & Doctrina Lulliana sit id, quod audivi in laudem, an verò id, quod audivi in vituperium ipsius; audivi enim mirabilia pro- & contra.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Ad hoc nihil possum dicere, nisi sciam quid Vestra Dominatio in laudem hujus Doctrinæ audierit; de eo autem, quod in dedecus ejusdem dictum forte fuerit, nihil curo; quia, si laudes veræ sint, satis manifestum erit, vituperia esse falsa.

Amator Veritatis. Audiri, eam esse à DEO infusam cuidam Viro Sancto, scilicet Beato Raymundo Lullo; & hoc est primum, quod mihi causat magnum dubium.

Disci-

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. In quo fundatur istud magnum dubium?

Amator Veritatis. Mihi videtur, quod doctrina à DEO data non deberet habere tot contradictores, & quidem tam magnos Viros.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Verum est hoc; sed, quid si eos habeat?

Amator Veritatis. Videtur mihi, quod non possit esse valde bona, nec consequenter à DEO data; cum non sit credendum, quod DEUS in statu præsenti voluerit dare Doctrinam sine necessitate; & manifestum est, nullam esse necessitatem Doctrinæ, quæ non sit excellens, & consequenter valde bona.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Credo, & scio, hanc Doctrinam habere Contradictores, & quidem aliquos reputatos Sapientes; sed hoc, salvo respectu Vestra Dominationis, non indicat eam non esse valde bonam, nec consequenter à DEO datam. Quænam Doctrina est melior, quam Christiana seu Evangelica? Et cui fuit unquam tantum contradictum, quantum ipsi? Imo, & adhuc hodie, cui Doctrinæ plus contradicitur, quam Christianæ ab ipso fonte Veritatis Verbo & Opere edocet? Et non loquor nunc de Infidelibus, inter quos fuerunt etiam multi Scribæ & Pharisei magni Sapientes reputati; sed loquor de illis, qui Fideles dicuntur, & de facto fidem Christianam verbo profitentur: quot sunt inter istos, qui contradicunt Doctrinæ Christi, si non verbo seu ore, saltem opere & veritate, vel potius falsitate vita, quod est valde plus? Si deberem istos singulariter nominare, non credo, quod inter centenos Christianos possem invenire unum non contradicentem. Quid unquam fuit bonum in

mundo, cui non fuerit contradic̄tum? Discurrat Vesta Dominatio omnes status mundi & Ecclesie usque ad pr̄sentem diem; & signanter quando fuit tractatum de aliqua Reformatione, & videbit mirabiles contradictiones. Et quid inde? Poterimusne inferre: ergo non sunt à DEO, vel, ergo non sunt bona? Nequaquam. Nec obstat, quod inter contradictores sit unus vel alius Magnus, sicut fuit Magnus Saulus inter contradictores legis Evangelicæ; neque obstat, quod putent bene facere, sicut putabat Saulus. Imò dico, & judico, quod, si non contradiceretur Arti & Doctrinæ Lullianæ, tunc esset signum eam non esse valde bonam, nec per consequens à DEO datam. Ratio est, quia Rectores mundi, tenebrarum, & confusorum habent magnum dominium & multos amicos non parum potentes. Hæc doctrina, charifime, est à DEO data ad reformationem morum totius mundi, & ad convincendos omnes errores, & falsitates sub specie Veritatis introductas nomine opinionis contra omnes virtutes, & signanter contra fidem Catholicam, & ad reformationem omnium Scholarum, quæ in multis deviarunt à Veritate: & quomodo esset possibile, quod inimicus humani generis per se, & per suos non applicaret totam suam potestatem ad impediendum tantum bonum? Qui attenderet ad contradictores, & observaret in eis modum contradicendi, evidenter cognosceret omnem contradictionem provenire à malo Spiritu.

Amator Veritatis. Jam adverti in quibusdam malevolam contradictionem provenire ex imprudentia, ne dicam impudentia; quia, quando interrogavi: quid esset in hac doctrina contemptu & reprehensione dignum? nec minimum potuerunt assigna-

assignare, & fateri debuerunt, se de ea omnino nihil scire; cum tamen manifeste impatienser, & magno odio loquerentur de ipsa. Alios interrogaui, quid intellegent in hac doctrina, quam contemnebant? Et responderunt nihil, immo & nec aliquid velle in ea intelligere. Et quando eis dixi, quare rem omnino ignotam contemnerent? Dixerunt se audivisse ab aliquibus, hanc Doctrinam esse meras nugas & aniles fabulas, & nihil valere. Iterum scire volui, an hoc audivissent ab aliquo intelligenti & experto in ipsa? Fassi sunt talem nunquam audivisse. Tunc debui mirari & ridere; dixi tamen hoc esse, sicut si quis contemneret Catholicam Ecclesiam, quia audivisset aliquos haereticos male de ipsa loquentes; vel si contemneret legem Christi, quia vidisset Judaos eam contemnentes.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Non malè processit Vesta Dominatio, & mihi placet, quidquid fecit; & propterea credo, DEUM eam vocare ad agnitionem Veritatis. Ergo possumus, ut video, resolvere, quod Doctrina Lulliana possit esse à DEO non obstantibus contradictionibus?

Amator Veritatis. Quantum ad possibilitatem, jam consentio; quia non video ullam repugnatiā; sed de actualitate debo dubitare, quo usque videam aliquid, quo prudenter possim certificari.

2. *Discipulus Lullianæ Doctrinæ.* Hoc etiam mihi placet. Sed dicat mihi Vesta Dominatio, putatne esse possibile, non esse à DEO unam Scientiam, cum qua potest resolvi scientificè omne dubium, & cum qua potest concludi demonstrativè totam Fidem Catholicam esse veram, & omnem aliam continere errores?

Amator Veritatis. Nullatenus puto esse possibile, non esse à DEO talem Scientiam; quia sine

dubio est valdè bona , & valdè illuminativa ; & credere debemus , esse à DEO omne bonum , & omnem illuminationem , signanter in rebus adeò utilibus ; dubito tamen , an talis sit Scientia Lulliana .

Discipulus Lulliana Doctrina. Bene dubitat , nec consulo , ut credat ; quia nollem homines credere , nisi solùm ea , de quibus sint sufficienter persuasi , quòd sint à DEO revelata ; & tunc non essent expositi tot erroribus & deceptionibus , quot videamus maximam partem mundi illaqueatam . Dubitet ergo , & inquirat impartialiter , & animo inveniendi Veritatem ad amandum & confitendum ipsam , & sinè dubio eam inveniet ; quia faciliter invenitur , si bona Intentione queratur .

Amator Veritatis. Hanc Intentionem habeo sinè dubio , & ad hoc labore , & ad hoc unicè veni , ut sciam resolutionem mei dubii ; & ita pro nunc scire vellem : quomodo possim persuaderi de hoc , quòd Scientia Lulliana sit à DEO .

Discipulus Lulliana Doctrina. Nihil est facilius ; dummodo Vestra Dominatio velit attentè legere unum vel alium Librum ex Lullianis ; quia primum , quod in eis percipitur , est , hanc Doctrinam non posse esse , nisi à DEO , & hoc evidentissimè , si non insidiosè legantur ; habet enim hæc Doctrina magnam affinitatem cum Sacra Scriptura , de qua scriptum : *Qui querit legem , replebitur ab ea , & qui insidiosè agit , scandalizabitur in ea.* Ecclesiastici Cap. 32. v. 19.

Amator Veritatis. Pro Amore DEI rogo , ne me remittat ad legendum libros ; quia faciliter accideret , quòd in eis non intelligerem tantum , quantum mihi sufficeret ad formandum debitum conceptum ; & etiam , quia , quàm citius sit possibile , volo

volo redire ad meam patriam ; & ita , si per aliud medium , quòd sit brevius & securius , possit me persuadere , enixè oro , ut hoc faciat .

Discipulus Lulliana Doctrina. Patet hanc Doctrinam esse à DEO ; quia , cùm sit extraordinaria in modo procedendi , & non habeat similem in præteritis temporibus , ideo est manifestum , eam esse de novo inventam ; & , quia hæc inventio se extendit ad omnes Scientias per eadem Principia generalia , per quæ possint cognosci & emendari omnes defectus omnium illarum , nullâ excepta , ideo est manifestum eam non esse inventionem humanam ; & , quia aliunde per hanc Doctrinam discurrendo debemus semper habere DEUM præ oculis , cùm omnes resolutiones & probationes debeamus fundare in Divinis Perfectionibus , si velimus radicaliter discurrere & concludere , & hoc ipsum est , quod directè repugnat diabolo , qui vellet , quòd nunquam cogitaremus aliquid de DEO , nisi fortè falso & erroneè , ideo etiam est manifestum hanc Doctrinam non esse à diabolo : unde solùm restat , quòd sit à DEO mediatè vel immediate inspirante .

Amator Veritatis. Quòd hæc Doctrina sit novum inventum , non dubito , quia hoc audivi ab ipsis Æmulis & Contradictoribus suis : quòd autem cum iisdem Principiis se extendat ad omnes Scientias regulandas & emendandas , non concedo , nec nego , sed dubito : & tandem , quòd semper debeamus in ea habere nostram mentem in DEO , ut per Divinas Perfectiones possimus discurrere & facere resolutiones , vellem videre ; quia , si sic est , & resolutiones fiant verè & demonstrativè , libenter concedam eam esse à DEO , & non posse esse ab alio .

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Hoc poterit faciliter experiri Vestra Dominatio, si mihi proponat aliqua dubia, & velit attendere ad modum resolvendi & probandi, quem tenebo. Sed, antequam ad hanc practicam accedamus, vellem, quod Vestra Dominatio aliud sciret, quo probari potest hanc Doctrinam esse à DEO.

Amator Veritatis. Libenter volo hoc scire: dicat igitur: quid est hoc aliud?

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Attendat: Doctor hujus Doctrinæ nunquam fuit Scholasticus, nihil enim didicit ab homine, nisi aliquid parum de Grammatica, & tamen scripsit de omni scibili, non solum generaliter, & dando exempla particularia in Arte Generali, & in libris ad eam pertinentibus; sed etiam specialiter, faciendo particulares tractatus de Artibus & Scientiis particularibus, in quibus, qui aliunde sunt in aliis Scholis instructi, inveniunt plura mirabilia, quæ in nullo Authore ante ipsum invenerunt; & hoc tali claritate, quod non possint non mirari. Scripsit similiter advertendo & ostendendo in quo erraverint Antiqui, qui in uno vel alio erraverunt, & demonstrando unde provenerit eorum error.

3. *Amator Veritatis.* Jam scio hunc Doctorem non fuisse instructum ab homine, & scripsisse multos libros, scilicet viginti vel plures, hoc enim legi in aliquibus.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Non solum scripsit iste Doctor viginti vel plures, ut Vestra Dominatio dicit se legisse, sed scripsit multò plures, quia ego ipse legi centenos; Et, si credendum est quibusdam Authoribus, scripsit ultra duo vel tria millia, ut videre poterit in Historia Sanctitatis & Doctrinæ impressa Parisiis, & scripta à R. P. F. Joanne Vernon, Tertii Ordinis S. Francisci, in lingua Gallica.

Amator

Amator Veritatis. Valdè mirabile est hoc, quod audio; quænam enim vita humana sufficit ad compendium tot libros, ne dicam, ad componendum & scribendum ipsos?

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Mirabile est sine dubio; sed tamen in hoc Doctore non est adeò mirabile, sicut esset in alio ex illis, qui ad compendium unum Librum indigent lectione mulorum; iste enim nulla lectione indigebat, quia semper habebat fontem manantem & influentem sufficienter & abundanter, scilicet Artem Generalem infusam.

Amator Veritatis. Si hoc ita sit, est valdè mirum, quòd Authores, quos legi, ad tam parvum numerum reducant libros hujus Doctoris; mirabile enim est, quòd scribentes de hac materia fuerint adeò parum informati de Veritate facti.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Debet scire Vesta Dominatio, quòd prædictus Pater Vernon non sit solus, qui de tanto numero Librorum hujus Illuminati Doctoris mentionem faciat, quia plures alii sunt, qui dicunt ipsum scripsisse & fecisse plus quam quatuor millia; citavi tamen istum, quia, cum suus liber sit impressus in lingua Gallica Parisiis, & ista lingua sit in his partibus multum usitata, posset faciliter contingere, quòd Vesta Dominatio, si habeat curiositatem legendi ipsum, in una aut alia Bibliotheca eum inveniret.

4. *Amator Veritatis.* Sed, quid, si aliquis diceret: hunc Doctorem fuisse edictum per inspirationem Diaboli, qui certè multum fecit?

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Talem remitto ad legendum ipsosmet libros, qui manifestè demonstrant de se ipsis, qua inspiratione conscripti sint & compositi; quia ubique spirant Divinum amo-

rem, & contemptum mundi, & vanitatum ipsius; quod Vestra Dominatio clarè intelliget ex eo, quòd iste Doctor fuerit Nobilissimus & Dicitissimus à nativitate in tantum, quòd fuerit primus in curia Regis Aragoniæ tunc residentis Majoricæ, & fuerit uxoratus competenter Suo Generi & Statui, & habuerit ex sua Conjugi varias proles: cùm igitur esset in tanto honore, fuit mirabiliter vocatus ad Statum Apostolicæ vitæ, & ad renuntiationem omnium rerum hujus mundi ita efficaciter, quòd vivente uxore & prolibus secesserit in eremum, & ibi egerit multo tempore eremiticam vitam. Est ne credibile, quòd hæc vocatio provenerit ab inspiratione Diaboli?

Amator Veritatis. Non; quia aliter Diabolus non esset inimicus nostræ salutis æternæ, quam maximè operamur per tales renuntiations; nec esset amicus nostræ damnationis æternæ, quam maximè operamur per possessionem honorum & divitiarum & vanitatum mundanarum, saltem dispositivè.

Discipulus Lullianæ Doctrinae. Optimè dicis: pergamus ergo. Postquam fuit in eremo, & ibi vixit decem annis in maxima austeritate & paupertate, & in continua Contemplatione cœlestium, qui in aula Regia fuerat enutritus in illa delicata vita & abundantia, quæ facilè judicari potest, tunc fuit Illuminatus in tantum, quòd subito senserit intra se fontem infusa Sapientiæ, & manifestè viderit Omnia rerum Principia, & Artem deducendi ex eis certam & demonstrativam resolutionem cuiuscunque rei dubitabilis in hac mortali vita; & sic descendit à monte ad docendum dictam Artem primò prælectam in Abbatia Regali Sancti Bernardi juxta Civitatem Palmæ in Insula Majoricana.

Non

Non satisfactus de hoc particulari Magisterio iste Apostolicus Vir, ivit multoties Romam ad excitandum quinque summos Pontifices diversos, & Congregationem Cardinalium; & ivit Parisios ad Regem Galliæ, & ad illam celebrem Universitatem Literariam, & ad alios Reges & Principes; ivit etiam ad Concilium generale Viennense, & ad tria Capitula generalia Fratrum Prædicatorum, & ad alia tria Fratrum Minorum, semper ferventer procurando excitare omnes ad tractandum de exaltatione fidei Christianæ, & Catholicæ Ecclesiæ, & de Conversione Infidelium; & sic ibat per mundum expendendo pecunias, quæ ei remanserant, & consumendo suos dies semper & ubique scribendo libros ad confirmationem Veritatis Fidei Catholicæ, & ad convincendos errores contra ipsam exortos, & præveniendo futuris, & simul prædicando Infidelibus & Paganis, quoisque pro defensione Fidei Lapidatus & glorioso martyrio coronatus est Bugiæ in Regno Tunicii. Creditne Vestra Dominatio ista posse provenire à Scientia non inspirata à bono Spiritu?

Amator Veritatis. Nequaquam. Sed unde constant hæc omnia?

Discipulus Lullianæ Doctrinae. Charissime, hæc constant ex historiis sui temporis scriptis à magnis & piis Viris, & singulis annis publicè prædicantur in celeberrimis festivitatibus, quæ in honorem hujus sancti Martyris & Illuminati Doctoris in sua patria celebrantur.

5. *Amator Veritatis.* Honoratur ergo iste Doctor in Ecclesia tanquam Sanctus?

Discipulus Lullianæ Doctrinae. Sine dubio; sed non ab universalí Ecclesia, cùm non sit ab ea solemniter canonizatus; habet tamen cultum immemoria-

morialem in Insulis Balearibus, & etiam in Cathalonia, ubi ego ipse vidi eum in publico Altari, in quo celebrantur Missæ in celeberrimo Monasterio Populeti Religiosorum Cisterciensium, expositum publicæ Venerationi sub nomine Beati, & habentem in capite Coronam radiorum. Et sciat Vestra Dominatio, quod iste cultus nunquam fuerit contradic̄tus in Curia Romana, & censeatur esse approbat̄s ab Urbano Octavo per Decretum prohibitivum Cultuum non immemorialium, virtute cuius fuerunt suppressi Cultus aliorum Venerabilium in Majorica, & in aliis partibus, cultus autem hujus sancti Doctoris fuit continuatus propter suam immemorialitatem legitimè comprobat̄.

Amator Veritatis. Estne possibile, quod omnia ista sint vera?

Discipulus Lullianæ Doctrinae. Non solum est possibile, sed etiam actuale; &, si meum testimonium aliquid valet, ego sum Testis ocularis omnium prædictorum, & celebravi Missas in diversis Altaribus ipsius, & interfui multoties Festivitatibus & Concionibus, quæ in honorem Sanctitatis & infusæ Sapientiæ fiunt singulis annis; imò & ego ipse bis vel ter concionatus sum de isto Sancto Doctore in diversis Ecclesiis & festivitatibus. Et debet Vestra Dominatio advertere, quod omnia ista fiant in Regno Catholico, ubi est Episcopus, & Tribunal Sanctæ Inquisitionis, & Vice-Rex vel Gubernator Generalis, & plures eorum sunt extranei semper subditi Regi Catholico; qui omnes solent interesse hisce Festivitatibus, quarum una singulis annis fit ab Universitate Literaria in die Conversionis Sancti Pauli Apostoli, quæ est etiam dies Conversionis hujus Sancti Doctoris; alia fit à Civitate & Regno in die Martyrii ejusdem; & plures

plures aliae Festivitates instituuntur Votivæ à singularibus personis in gratiarum actionem propter aliquas extraordinarias gratias miraculosè impletatas à DEO per Intercessionem hujus Sancti : unde patet, quod colatur ut Sanctus faciens miracula ; cuius sacra Reliquæ insuper exponuntur publicæ venerationi in Ecclesia. Et notandum est, quod sint duo miracula continua à tempore vita ipsius usque in præsentem diem durantia, quæ confirmant Sanctitatem & Doctrinam hujus Sancti.

6. Amator Veritatis. Quænam sunt ista Miracula in præsentem diem continuata ?

Discipulus Lulliana Doctrina. Primum est, quod in loco, in quo iste Servus DEI agebat vitam eremiticam, sint quædam arbores, quæ, postquam ipse unam noctem consumpsisset orando, flendo & suspirando ad DEUM propter timorem, quem habebat, ne perderetur Ars, & Scientia, quam ei communicaverat, & quam videbat esse valde aptam & necessariam ad reformandum totum mundum, manè apparuerunt mirabiliter scriptæ, & habentes folia plena characteribus diversarum linguarum, scilicet Hebraicæ, Græcæ, Latinæ, Turcicæ, & aliarum ; admiratus de novitate iterum oravit ad DEUM, ut sibi dignaretur ostendere mysterium hujus novitatis ; ex quo apparuit ei Angelus dicens : ne sis sollicitus de Arte, quam DEUS tibi dedit, quia ipse eam conservabit ; & veniet tempus, in quo proderit tot Nationibus, quot sunt genera characterum in istis foliis. Tunc servus DEI attentiùs aspiciens, & Divino lumine cognoscens omnem diversitatem illorum characterum, fuit maximè consolatus, & benedixit DEUM & ejus mirabilem dispositionem. Iste arbores usque ad præsentem diem conservantur in eadem eremo,

&

& retinent in suis foliis illos characteres, vel, verius loquendo, renovando singulis annis sua folia insignita prædictis characteribus; &, licet Majoricæ sint innumerabiles Lentisci ejusdem speciei, tamen nulli alii, nisi isti, habent folia signata his vel aliis characteribus. Et, quod isti characteres sint miraculosi, est evidens in hoc, quod nullum folium reperitur habens eosdem characteres, quos habent alia, sed in omnibus est notabilis diversitas, sicut ego diligenter aspicio multoties aderti; quæ diversitas non esset, si prædicti characteres forent naturales. Hoc est unum miraculum. Audiat Vestra Dominatio aliud etiam continuò perseverans.

Alterum est: In quodam cubiculo domûs, in qua vivebat hic Vir DEI, percipitur singulis annis quidam odor ita suavis & mirabilis, quod nullus usque modo dubitaverit, sed omnes firmiter crediderint, quotquot ipsum percepérunt, esse odorem prorsus cœlestem; & percipitur die vigesima quinta Januarii, quæ dicitur esse dies conversionis ipsius, & etiam, quoties in illam domum portatur Sanctissimum Sacramentum pro Viatico alicujus infirmi. Habetur præterea ibi traditio, quod illa die apparuerit huic Apostolico Viro JESUS Christus in illo cubiculo, & cum eo habuerit longam conversationem, & reliquerit ibi illum odorem, qui eadem die & hora reiteratur singulis annis. De hoc vidi documenta authentica varia solemniter formata, quorum unum fuit factum assentibus Vice-Rege illius regni, & principalioribus Personis illius Civitatis, qui usque ad quadriginta in numero deposuerunt sub juramento se percepisse dictum odorem, & firmiter credere eum esse omnino cœlestem, quia nunquam similem

lem se percepisse asseverant. Ego ipse ipsum percepī, & dico idem, & addo, quod nec similem naturaliter possibilem judicem in universa terra. Ecce duo Miracula quæ adhuc hodie durant, & sunt millies deprædicata Majoricæ.

Alia miracula, quæ DEUS quotidie facit per Intercessionem hujus sancti Doctoris, sunt innumerabilia, quorum aliqua pars ex authenticis documentis potest videri apud R.P. Custurer Societatis JESU in sua Dissertatione, & inter ipsa sunt quædam maxima.

Audiat Vestra Dominatio *Tertium Miraculum factum meo tempore, & in maxima publicitate: erat Majoricæ in principali Civitate quidam puer à nativitate contractus ambobus pedibus, ita tamē, quod crura habebat sana & poterat ambulare, sed pedibus ferè rotundis, & se invicem respicientibus.* Iste puer propter excellentiam vocis, & peritiam Musicæ fuit maximè notus in illa Civitate ita, quod ferè nullus erat, qui eum non agnosceret. *Quadam die contigit, quod doleret uno pede, & audiendo in quadam Concione miracula, quæ DEUS fecit, & quotidie facit per Intercessionem hujus sancti Doctoris, ivit ad sepulchrum ipsius, & deprecatus est eum, ut sanaret ei pedem dolentem, quo factō visum est ei in somnis, quod Sanctus eum exaudivisset, & eum sanasset.* Excitatus postea à somno surrexit, & vidi se habere unum pedem integrum & rectum, scilicet illum, quo dolebat, & alium obliquum sicut antea. Postea comparuit in publico habens unum pedem rectum & alium obliquum, & interrogatus narravit ea, quæ dixi; & istud miraculum fuit divulgatum brevi tempore apud omnes, qui istum puerum agnoscebant. Iterum excitatus amore recti-

rectitudinis alterius pedis fecit easdem Instantias, & consecutus est ab isto sancto Doctore desideratam rectitudinem alterius pedis, & comparuit in publico cum ambobus pedibus rectis sanis & integris ad stuporem omnium. Estne hoc verè Miraculum?

Amator Veritatis. Verè Miraculum magnum est, si verum est.

Discipulus Lullianaæ Doctrinæ. Verum est in tantum, quòd adhuc hodie invenirentur in Majorica millenæ Personæ, quæ testimonium darent de Veritate ipsius; quia puerum agnoverunt primò pedibus rotundis, ut dixi, per multos annos; & postea uno pede recto, & alio obliquo per unum vel duos annos, & tandem ambobus pedibus integrè rectificatis etiam multo tempore. Et ego ipse omnia prædicta vidi hisce meis oculis.

Amator Veritatis. O bone DEUS! Est possibile quòd de uno tali Sancto adhuc post tot miracula evidētia habeatur apud aliquos mala Opinio, non solum, tanquam si non habuisset Spiritum DEL, sed etiam tanquam si habuisset Spiritum Diaboli?

Discipulus Lullianaæ Doctrinæ. Non miretur Vestrā Dominatio de hoc, quia istæ Partes remotæ ferē nihil sciunt de prædictis, & crediderunt uni vel alteri historiæ latinæ, quæ non est facta in illis Partibus, ubi non sunt in usu nisi historiæ in lingua Hispanica scriptæ; & quamvis multæ historiæ Gallicæ & Hispanicæ, & etiam Latinæ satis benè loquuntur de isto sancto Doctore, tamen una vel alia malè loquitur occasione desumptâ ex æquivocatione nominis cuiusdam alterius Raymundi; hoc tamen est sinè fundamento in re; quia iste fuit Judæus natus, & postea verè vel fictè conversus ad Christianitatem; fuit religiosus talis qualis, quia relicto habitu

habitu apostatavit , & scripsit aliquot libros pessimos, quos quidam scienter vel ignoranter attribuit nostro Raymundo ; & , quia sic evitabatur infamia illius Ordinis incuria per illum apostatam Judæum, hoc fuit libenter acceptatum à quibusdam aliis Religiosis illius Ordinis ; cùm tamen sit magna differentia inter illum Judæum & nostrum Raymundum, quia ille fuit Cathalanus , & noster Majoricensis , & ille fuit ex vilissima progenie Judæorum, & noster ex nobilissima , notissima , & antiquissima Familia Christianorum ; ille fuit multò junior, & noster multò antiquior ; ille tanquam apostata fuit profugus , & non audens comparere coram oculis Superiorum , & noster comparuit coram summis Pontificibus , & Regibus , & Universitatibus , & Capitulis generalibus Ordinum , & nunquam in occulto locutus nec operatus est quidquam, quounque publicè arguens Paganos de suis erroribus proprium sanguinem pro defensione Fidei Catholicæ effudit. Præter æquivocationem nominis est aliud fundamentum, quo unus vel alias innocenter potest decipi formando malum conceptum de Doctrina & Sanctitate nostri sancti Doctoris , & istud est quædam fictio cuiusdam malitiosi, qui divulgavit quandam Bullam Gregorii Undecimi, qua prohibentur libri ipsius tanquam continentes doctrinam erroneam, quæ Bulla est credenda omnino ficta, quia nunquam comparuit, licet fuerit diligenter quæsita immediatè post dictam divulgationem ; &, quia errores in ea nominati nunquam fuerunt inventi in libris citatis. Quapropter hæc supposita prohibitio nullibi habuit ullum effectum cùm ipsum non habuerit in Aragonia, in qua dicitur fuisse divulgata, licet illa Natio semper fuerit plenariè obediens summis Pontificibus , & signanter

à tempore, quo subdita fuit Regibus Hispaniæ. Unde manifestè colligitur prædictam Bullam non extitisse, nisi in mente factoris, vel etiam in mente illorum, qui ei voluerunt libenter dare fidem.

7. *Amator Veritatis.* Quomodo probatur dictam Bullam prohibitiuam nullum habuisse effectum in partibus Hispaniæ? Hoc inquirō, quia, si ubi fuit divulgata, nullum habuit effectum, utique ex nullitate effectus erit mihi satis manifesta nullitas causæ.

Discipulus Lulliana Doctrina. Probatur ex hoc, quod tota Hispania sit Regnum Catholicum, in quo maximo honore & authoritate viget Tribunal Sanctæ Inquisitionis nulli habens respectum in rebus Fidem tangentibus, & in quo Nuntius Apostolicus & Episcopi maximè invigilant super observantiam Constitutionum & Bullarum summorum Pontificum; & ibi nec ex parte Inquisitionis, nec ex parte Nuntii Apostolici vel Episcoporum scitur unquam fuisse prohibitam lectionem unius vel alterius libri ex contentis in divulgata prohibitione; imò totaliter liberè leguntur, & conservantur publicè omnes libri hujus sancti Doctoris contenti & non contenti in ipsâ indifferenter, & in pluribus Partibus conservantur à tempore vitae & mortis ipsius Authoris; cùm tamen prohibitio, si foret vera, fuisset facta multo tempore post. Hoc manifestè patet in libris quos S. E. Palatinus recepit à quadam nobili Familia Barcinonensi, in qua conservabantur prædicti libri à tempore martyrii hujus sancti Doctoris, & inter ipsos sunt multi, si non omnes, qui dicebantur prohibiti in divulgata Bulla, cùm tamen fuerint conservati non occultè Barcinonæ ab illo tempore usque ad præsens sæculum. Alias probationes allegare possem, quas omitto, quia hæc sola sufficit.

Amator

Amator Veritatis. Ego tamen scio aliam non minoris roboris, & est, quod in Cathalogo Librorum prohibitorum, & Authorum hæreticorum facto in Concilio Tridentino nec libri allegati in dicta prohibitione, nec nomen Authoris inveniantur, cum tamen Concilium Tridentinum fuerit multo tempore post Gregorium Undecimum.

Discipulus Lulliana Doctrinae. Hoc est verum, & est argumentum à posteriori sufficienter probans, quia sine dubio dicta prohibitio, si fuisset in rerum natura, debuisset confirmari à Concilio; talia enim dicebat contineri in prædictis libris, quæ Concilium nullatenus permisisset, cum sint manifestè erronea.

8. *Amator Veritatis.* Quid si aliquis diceret libros hujus Doctoris fuisse emendatos, & sic potuisse permitti à Concilio Tridentino post emendationem?

Discipulus Lulliana Doctrinae. Hoc esset valde liberè dictum, & esset error pejor priore, quia, ut dicti libri emendantur, debuissent totaliter mutari non solum quoad accidentia, sed etiam quoad substantiam; nam errores imputati reperti fuissent in millenis passibus ipsorum non incidenter tantum, sed ex professo, & cum suis probationibus. Sit pro exemplo: primus ertor erat *Quod DEUS habeat plures essentias*, super quem videat Vesta Dominatio solos impressos, & computet quoties inveniet Articulos integros & partes Distinctionum, & tunc poterit judicare an sit possibile ipsos fuisse emendatos, quin toti Libri fuissent mutati ex integro in alios. Et quis potuisset ipsos emendare? Est evidens, neminem potuisse, qui fuisset in scientia inferior ipso Authore: & quis æqualis in scientia huic Authori vellet totaliter mutare libros, & ipsos ferè in totum de novo formare,

& postea dare alteri honorem, quem justè posset retinere pro se? Accedit ad hoc, quòd multi Libri hujus Authoris inveniantur, qui in antiquitate non cedunt ipsi Authori, & consequenter vel sunt ab eo scripti, vel ab aliquo coætaneo, & tamen in eis nullum signum emendationis invenitur. Qui voluerit certificari de hoc, vadat per mundum & inquirat Bibliothecas, & videbit, quām verum sit, quod dico. Solùm in unà, quæ est Parisiis in Sorbona, vidi & legi duodecim Tomos satìs magnos, qui manifestum testimonium dant de hac Veritate, & in uno ipsorum est scriptum: *Manu propria, quā totus Tomus scriptus est, ipsum fuisse traditum in Collegio ab ipso Authore.*

Amator Veritatis. Certè nescio, quid possim dicere, nisi solùm benedicere DEUM in isto sancto Doctore, & mirari, quanta fuerit malitia contra ipsum, & ejus Doctrinam; quæ malitia satìs indicat totum infernum esse conjuratum contra ipsam, & consequenter, ipsam esse verè Divinam, sive à DEO datam ad aliquem bonum & magnum finem Christianæ Ecclesiæ. Satis est, relinquamus istam materiam & eamus ad nostrum principale intentum.

Discipulus Lulliana Doctrina. Benè dicit Vefra Dominatio, quia videndo practicam & experientiam hujus Doctrinæ poterit prudenter judicare de ipsa, an sit à DEO & an sit id, quòd dubitat, quasi ex fructu cognoscendo arborem, & ex effectu causam, quæ cognitio non est fallibilis, juxta Evangelium.

9. *Amator Veritatis.* Proponam ergo mea dubia, ut videam quomodo solvantur per hanc Doctrinam; sed antea adhuc scire vellem: *An verum sit, quòd Lullistæ dicant, omnes Divinas Perfectiones esse æquales in agendo ad extra, sicut audiri. Estne hoc verum? Et estne verum, quòd hoc deducant ex Arte & Doctrina Lulliana?*

Disci-

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Verum est utrumque. Habétnē Vestrā Dominatio aliquid in contrarium? Et quantum ex me est, conabor satisfacere.

Amator Veritatis. Habeo quidem multa, & magni momenti.

10. *Discipulus Lullianæ Doctrinæ.* Dicat ergo, quænam ista sint. Sed antea respondeat mihi ad hanc unicam interrogationem: *Nonne omnes Divina Perfectiones sunt in DEO aequales?*

Amator Veritatis. Mihi videtur, quòd non possint esse æquales, imò Misericordiam esse multò majorem Justitiā, cùm DEUS per suam Misericordiam fuerit incarnatus & mortuus, & multò plura & majora fecerit per ipsam quam per Justitiam.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Erítne hoc verum in re, an verò in sola nostra consideratione?

Amator Veritatis. Puto, verum esse in re, cùm DEUS verè & realiter fuerit incarnatus, & concesserit nobis omnia dona, quæ nobis concessit per solam Misericordiam.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Attendat igitur, quid inde sequatur per legitimam consequentiam; &, si consequens legitimè illatum sit verum, tunc poterit credere, quòd antecedens sit verum; sed, si consequens sit falsum, non potest antecedens non esse falsum; notum enim est in omni Schola illud axioma desumptum ab Antiquis, *Ex vero semper sequitur verum:* Si Misericordia est in DEO major, quam Justitia, Justitia est in eo minor, quam Misericordia. Estne hoc verum?

Amator Veritatis. Verum est, quia universaliter loquendo non potest esse neque intelligi, quòd unum sit majus alio, & aliud non sit minus ipso.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Optimè. Si Justitia in DÉO est minor & Misericordia major, ut Justitia fieret æqualis Misericordiæ, deberet crescere. Estne hoc verum?

Amator Veritatis. Verum est etiam, quia, ut minus æqualificetur majori, est necessarium, quod crescat; nisi fortè majus minueretur, quia tunc per solam diminutionem majoris possent æqualificari; non stante autem hac diminutione, quam non judico possibilem in Divina Misericordia, esset absolute necessarium, quod Justitia cresceret, ut æqualificaretur Misericordiæ.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Etiam optimè. Ergo Divinæ Justitiæ, ut sit adeò magna, sicut est Divina Misericordia, deficit aliquid, per cuius additionem fieret adeò magna, sicut Divina Misericordia. Estne verum?

Amator Veritatis. Verùm est, & innegabile, tanquam per se notum ex ipsis terminis.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Nunc interrogo: quid est hoc, quod ei deficit?

Amator Veritatis. Magnitudo.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Et nihil aliud?

Amator Veritatis. Certè nihil aliud.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Ergo, si sola Magnitudo adderetur Divinæ Justitiæ, fieret æqualis Divinæ Misericordiæ, quamvis ista Magnitudo non esset bona, nec æterna, nec potens, nec virtuosa, nec vera?

Amator Veritatis. Non sic; sed deberet ei addi Magnitudo bona, æterna, potens, virtuosa, & vera.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Ergo Divina Justitia habet de facto defectum Magnitudinis bonæ, æternæ, potentis, virtuosæ, & veræ, quem si non habe-

haberet, esset æqualis Divinæ Misericordiæ? Ergo est defectuosa; & ita DEUS est defectuosus in Justitia, & perfectus in Misericordia, sive habet defectum in Justitia, & non habet defectum in Misericordia? Et quomodo DEUS est Ens omnino perfectum, in quo non est, nec potest esse ullus defectus?

Amator Veritatis. O bone DEUS! Non adverteram istud maximum inconveniens; quare ex nunc credo & confiteor, tuam Justitiam esse æquè magnam, sicut tua Misericordia, & tuam Misericordiam nullatenus esse majorem tuâ Justitiâ.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Nondum advertit nec videt Vesta Dominatio omnia inconvenientia, imò hoc, quod videt, est ferè nihil respectu omnium.

Amator Veritatis. Ostendat mihi, quæso, aliqua alia, ut plus & melius videam.

II. *Discipulus Lullianæ Doctrinæ.* Si Divina Justitia esset minor Divinâ Misericordiâ, ipsa esset finita, cùm nullum minus possit esse infinitum. Estne hoc ita?

Amator Veritatis. Ita est sine dubio.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Ergo Divina Misericordia esset infinita, & Divina Justitia finita.

Amator Veritatis. Non possum hoc negare, quia evidens mihi est.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Et quid inde sequeretur?

Amator Veritatis. Dicat Vesta Dominatio, quia libentius audio, quām loquar.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Sequeretur in primis, quòd in DEO Justitia & Misericordia non essent unum & idem realiter, cùm sit manifestè impossibile & contradictorium, unum & idem esse majus & minus se ipso. Percipit?

Amator Veritatis. Percipio & video, hoc esse verum & verissimum.

12. *Discipulus Lullianæ Doctrinæ.* Sequeretur etiam quod Divina Misericordia distincta à Divina Justitia esset infinitè major ipsâ Justitiâ, cùm infinitum sit infinitè majus finito; & quod Divina Justitia esset fere nihil respectu Divinæ Misericordiæ. Concedit Vesta Dominatio ista duo?

Amator Veritatis. Neutrū possum negare, quia propterea dicere solemus, quod inter infinitum & finitum sit infinita distantia, & propterea dicit Scriptura: *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram DEO, & quasi nihilum.* Isaiæ Cap. 40. v. 17.

13. *Discipulus Lullianæ Doctrinæ.* Prosequamur: Sequeretur etiam quod Divina Misericordia non esset justa; quia ipsa non esset justa per se ipsam, cùm hoc sit proprium Justitiae, quæ sola est justa per se ipsam; nec esset justa per Justitiam, quia Justitia non posset justificare Misericordiam infinitè maiorem se, & respectu cuius ipsa ferè nihil esset. Sunt ne vera ista?

Amator Veritatis. Verissima sunt sine omni dubio. Sunt ne adhuc alia?

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Alia sunt non minora præcedentibus.

Amator Veritatis. Dignetur mihi dicere saltem unum.

14. *Discipulus Lullianæ Doctrinæ.* Attendat: Cùm Justitia sit Essentia, & Misericordia sit etiam Essentia, essent in DEO plures essentiae realiter, & sic non esset in DEO sola Pluralitas Personarum, nec esset in eo Unitas Essentiae, imò esset in eo plurium essentiarum unio, qua sine compositione esse non potest. Concedit hæc?

Amator

Amator Veritatis. Concedam, si mihi ostendat, Justitiam esse Essentiam, & similiter Misericordiam. Et rogo, ut in posterum omittamus istum modum loquendi in tertia persona, & quasi si essemus abstracti; loquamur simpliciter, sicut Christus loquebatur Apostolis, & Apostoli ipsi Christo.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Libenter accepto istum modum loquendi tanquam magis rationabilem & conformem Veritati; non enim est Veritas, quod homo sit Dominatio, nec Paternitas, nec aliquod simile abstractum, nec per consequens est rationabile, quod talis nominetur; loquebar tamen sic ad conformandum me modo loquendi multorum; quæ conformitas non est mala, cum loqui debeamus cum multis, licet sentire debeamus cum paucis, ut optimè dicit Aristoteles. Sed miror, quod non intelligas & scias Justitiam esse Essentiam, & Misericordiam similiter.

Amator Veritatis. Confiteor coram DEO, quod hoc non sciam, & quidquid imposterum ignoravero, aperte volo confiteri; quia nolo amplius amare ignorantiam.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Mirum est, Charismè, quam pauca Scientia sit in multis Theologis hujus temporis, quamvis communiter reputentur magni; tu enim etiam es Magister in Israël, & non parvæ existimationis. Audi igitur: nonne scis, quod, quidquid est, vel sit *essentia* vel *esse*?

Amator Veritatis. Confiteor me etiam hoc non scire.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Non scis, quod, quidquid est bonum, sit bonum *ut quo*, vel *ut quod*?

Amator Veritatis. Ita, hoc scio, quia quotidie hoc dicimus in nostris Scholis.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Et nonne scis, quòd bonum *ut quo* sit sola Bonitas, & bonum *ut quod* sit id, quod per Bonitatem est bonum?

Amator Veritatis. Etiam hoc scio.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Ergo Bonitas est Ratio, per quam est bonum id, quod non est Bonitas; & bonum est id, quod per Bonitatem est bonum.

Amator Veritatis. Ita est sinè dubio.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Attende ergo: quia Bonitas est *quo* aliquid est bonum, Bonitas est essentia ponens esse bonum; & id, quod ipsa ponit, est esse bonum.

Amator Veritatis. Hoc mihi quadrat.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Dic ergo mihi, putasne invenire in linea boni aliud, quam *quo* & *quod*, nempe quo aliquid est bonum, & quod est bonum?

Amator Veritatis. Certè, nullatenus.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Ergo in hac linea essendi non invenitur nisi essentia & esse, sive quo & quod, sive Bonitas & bonum.

Amator Veritatis. Hoc non possum negare.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Discurre ergo per omnes lineas, scilicet per lineam justi, misericordis, & per omnes quascunque alias, & non invenies, nisi essentiam & esse.

Amator Veritatis. Jam video, & concedo, quòd Justitia sit Essentia, cui correspondet esse justum; & Misericordia sit Essentia, cui correspondet esse misericors; & ita concedo & confiteor, quòd, si in DEO Misericordia esset major, & Justitia minor, sequerentur impossibilia supradicta.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Confiteris hoc idem de omnibus aliis Divinis Perfectionibus?

Amator Veritatis. Ita, hoc idem confiteor de omni-

omnibus, quia manifestè video, quòd eadem inconvenientia sequerentur, si non omnes essent æquales, vel si una earum esset minor cæteris.

Discipulus Lullianæ Doctr. Vides bene omnia ista?

15. *Amator Veritatis.* Bene video; quare transire volo ad objiciendum *contra Aequalitatem Divinorum Perfectionum in agendo ad extra*, quæ videatur mihi omnino impossibilis, & contraria Rationi & Scripturæ, & multorum Doctorum fide dignorum authoritati.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Quamvis hoc tibi videatur, tamen non est ita in re; quia Veritas non est impossibilis, nec contrariatur Rationi, nec Scripturæ, quæ est pura Veritas, nisi malè intelligatur; nec contrariatur Sanctis Patribus, qui sinè dubio fuerunt valde illustrati fulgore Divinæ Sapientiæ.

Amator Veritatis. Si mihi ostendas, quòd hoc sit Veritas, tunc credam; antea verò non possum hoc credere; quia habeo valde multas repugnatiæ in mente conceptas contra istam Aequalitatem.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Si mihi concedas Veritatem, quam percipes, sicut usque modo fecisti; jam ex nunc habeo hoc pro facto. Et interrogo: stásne firmus in hoc, quòd Divinæ Perfectiones sint æquales in essendo & in agendo ad intrà?

16. *Amator Veritatis.* Quid dicas? Numquid Divinæ Perfectiones agunt intrà DEUM?

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Certè, agunt intrà DEUM, sicut agunt extra, quamvis non eodem modo; quia agunt extra agente tota Trinitate simul, intrà verò agunt agente Patre in ordine ad Filium, & agente Patre & Filio in ordine ad Sanctum Spiritum.

Amator Veritatis. Explica, rogo, hoc, quia fateor, quòd non intelligam.

Discipulus Lullianæ Doctrinae. Hoc non intelligis? Bene potestis dicere tu, & tui similes: Patres & Magistri nostri peccaverunt, & nos iniquitates eorum portamus; quia loquendo de DEO valde parum scitis, ne dicam nihil. Audi: quomodo Divinæ Perfectiones agunt extra DEUM? Nonne quia sunt DEO Ratio agendi in creaturis?

Amator Veritatis. Ego nolo respondere, sed rogo ut mihi hoc declarare digneris pro amore DEI; quia concedo, quòd Magistri nostri peccaverint, & nos iniquitates eorum portemus.

17. *Discipulus Lullianæ Doctrinae.* Attende ergo: *Divina Bonitas agit extra DEUM creando creaturas bonas, quia ipsa est DEO Ratio agendi bonum sive bonificandi quidquid DEUS agit.* Estne hoc verum?

Amator Veritatis. Concedo hoc esse verum.

Discipulus Lullianæ Doctrinae. Quod dixi de Bonitate, estne verum de omni aliâ Divina Perfectione?

Amator Veritatis. Credo sic esse, & propterea hoc idem concedo de illis.

Discipulus Lullianæ Doctrinae. Ergo Divinæ Perfectiones agunt ad extra, quia DEO agente ad extra sunt ei Ratio agendi?

Amator Veritatis. Concedo consequentiam.

Discipulus Lullianæ Doctrinae. Agit etiam Divina Bonitas ad extra, quia ipsa est DEUS, & DEUS agit, ad extra; & idem est dicendum de omni alia Divina Perfectione. Estne ita?

Amator Veritatis. Ita est, si credamus Sancto Bonaventuræ affirmativè dicenti: *Quidquid est in DEO, est DEUS.*

Discipulus Lullianæ Doctrinae. Non est solus iste Sanctus Doctor, qui hoc dicat; quia ante ipsum hoc

hoc dixerunt S. Augustinus, S. Gregorius Magnus, & S. Anselmus, quos ego legi, & non dubito, quòd omnes alii hoc idem vel aliud æquivalens dicant, quia ratio hoc demonstrat omnibus illis, qui habent fidem, & sciunt discurrere; nam, si Bonitas in DEO non esset DEUS, ipsa esset aliquid minus, quam DEUS; &, si ita esset, DEUS esset aliquid majus, & sua Bonitas aliquid minus; &, si ita esset, cùm DEUS sit Divina Trinitas, ut passim legitur in Sanctis Patribus, & ratio demonstrat, sequetur in Divina Trinitate esse aliquid majus, & aliquid minus, contra id, quod legimus in Symbolo Fidei: *In hac Trinitate nihil majus aut minus;* &, quod dictum est de Bonitate, est dicendum de omni alia Divina Perfectione. Concedis hæc?

Amator Veritatis. Concedo; & consequenter concedo Divinas Perfectiones agere extra DEUM modo prædicto, scilicet quia ipsæ sunt DEUS, & quia sunt DEO Ratio agendi extra se.

18. *Discipulus Lulliana Doctrina.* Hæc concedis, & nondum vides, quòd Divina Perfectiones agant in DEO, & intrè DEUM?

Amator Veritatis. Nondum bene hoc video.

Discipulus Lulliana Doctrina. Attende ergo: si Divinæ Perfectiones sunt DEUS, cùm DEUS sit Pater, & Filius, & Sanctus Spiritus, ipsæ sunt Pater, & Filius, & Sanctus Spiritus. Estne ita?

Amator Veritatis. Ita est.

Discipulus Lulliana Doctrina. Et quomodo Divinæ Perfectiones sunt Pater, & Filius, & Sanctus Spiritus? Suntne hæ tres Personæ taliter, quòd quædam earum sint Pater, & quædam sint Filius, & quædam sint Sanctus Spiritus, vel taliter quòd omnes sint Pater, & omnes sint Filius, & omnes sint Sanctus Spiritus?

Amator

Amator Veritatis. Sunt Pater, & Filius, & Sanctus Spiritus taliter, quod omnes sint qualibet Persona; quia, nisi ita esset, sicut Personæ sunt ad invicem realiter distinctæ, ita illæ Perfectiones, quæ essent una Persona, essent realiter distinctæ ab illis, quæ essent aliæ Personæ, & sic jam daretur realis distinctio inter Divinas Perfectiones, vel saltem inter alias; quod non potest esse, ut dictum est supra.

Discipulus Lullianæ Doctrinae. Optimè dicas, & gaudeo quod ita bene percipias hanc Veritatem. Si ergo omnis Divina Perfectio est Pater, & Pater generat Filium, omnis Divina Perfectio generat Filium: &, si omnis Divina Perfectio est Filius, & Filius generatur à Patre, omnis Divina Perfectio generatur à Patre. Estne verum?

19. *Amator Veritatis.* Non audeo dicere, quod sit verum, quia scio, quod ista propositio non sit vera: *Essentia generat*, nec ista, *Essentia generatur*; &, ni fallor, est ab Ecclesia definitum. Et, si istæ non sunt veræ, neque erunt veræ istæ aliæ, *Bonitas generat*, vel *generatur* & sic de aliis Divinis Perfectionibus; sed sola ista erit vera, *Pater generat*, & ista alia, *Filius generatur*.

Discipulus Lullianæ Doctrinae. Veritatem insinuas, sed eam non intelligis; si enim eam intelligeres, non scrupulizares concedere ipsam, sicut sancti Patres bene intelligentes sine scrupulo dicebant, Filium esse Sapientiam genitam de Sapientia, & Deitatem genitam de Deitate, & plura alia similia. Et certum est, quod, si Filius sit verè Sapientia genita, Pater sit verè Sapientia cognitrix; &, si Filius sit verè Deitas genita, Pater sit verè Deitas cognitrix; cum certum sit, quod Pater de se ipso, & per se ipsum cognoscit Filium; &, quantum Filius est

est genitus, tantum Pater sit gignens ; ut etiam passim legitur in Sanctis Patribus : ergo, si Filius est Sapientia genita de Sapientia, & Essentia genita de Essentia, & Bonitas genita de Bonitate, & omnis Divina Perfectio genita de omni Divina Perfectione, sequitur, quod Pater sit Sapientia, & Essentia, & Bonitas, & omnis Divina Perfectio, de qua est genitus Filius, & sit etiam Pater Sapientia, & Essentia, & Bonitas & omnis Divina Perfectio gignens, quia gignit de Sapientia, & Deitate, & Bonitate, & omni Divina Perfectione gignendo de se ipso, & consequenter gignens & de quo gignit est unum idem ; &, si est unum idem, sequitur, quod Sapientia & Deitas sit id, de quo Filius est genitus, & id, de quo Pater gignit, sit etiam Sapientia & Deitas gignens Sapientiam & Deitatem genitam : & si hoc est verum de Sapientia & Deitate, est etiam verum de Essentia, & de omni Divina Perfectione, quae est in Deitate.

Amator Veritatis. Concedo hoc ultimum ; sed antecedentia non capio, quia non video, quomodo possint esse vera, quamvis sciam, sanctos Patres similiter loqui. Si enim ista non potest esse vera : *Essentia gignit*, quomodo erit vera ista, *Sapientia gignit*, vel *Deitas gignit*, vel aliqua alia *Divina Perfectio gignit* ?

Discipulus Lulliana Doctrina. Est mirabile, ne dicam miserabile, quam parum multi ex magnis Theologis (tu enim non eis parvus in aestimatione multorum) hoc tempore intelligent de DEO ; si enim quis aliquantulum subtiliter loquatur eis, ferè nihil possunt sapienter respondere ; & propterea omnia negant, & clamant, & rident, vel irrident, quando deberent flere, vel saltē erubescere. Si putarem, quod me intelligeres, con-

narer

narer dare tibi aliam declarationem, qua videre posses, quomodo vera sint omnia supradicta.

Amator Veritatis. Da mihi quælo istam, quia libenter attendam, & spero in DEO, quod eam intelligam, si patienter sustineas meam insipientiam, quam ingenuè fateor, licet eam non videbam usque modò.

20. *Discipulus Lullianæ Doctrinae.* Attende bene. Ratio, quare dicitur, & optimè, quod in DEO *Essentia* non generet nec generetur, est, quia, quando dicitur *Essentia* & nihil aliud, tunc intelligitur *Essentia communis* tribus Divinis Personis, vel *Essentia communis* *Essentiæ Patris*, & *Filii*, & *Sancti Spiritus*, quæ re vera non generat nec generatur; quia, si generaret, *Essentia Patris*, & *Filii*, & *Sancti Spiritus* generaret; &, si generaretur, *Essentia Patris*, & *Filii*, & *Sancti Spiritus* generaretur: &, si ita esset, cum Pater sit sua *Essentia*, & Filius similiter sua, & etiam *Sanctus Spiritus*, quia in DEO non est Distinctio inter *Essentia* & *Esse*, vel inter quod & quo, saltem realiter, Pater & Filius & *Sanctus Spiritus* generarent; & id, quod generarent, esset aliqua alia Persona Divina distincta ab eis, & tunc non esset in DEO Trinitas Personarum, sed quaternitas; quod est impossibile. Percipis?

Amator Veritatis. Percipio, & aliqualiter intelligo, & fateor, quod mihi placeat.

Discipulus Lullianæ Doctrinae. Attende ergo amplius: licet *Essentia communis* in DEO non generet, nec possit generare propter impossibilitatem supradictam, & propter plures alias innumerabiles, nec per consequens Bonitas, nec Deitas, nec aliqua alia Perfectio communis generet, nec etiam generetur, tamen *Essentia propria* Patris generat, & *Essentia propria* Filii generatur; & similiter Bonitas propria

propria Patris, & qualibet alia Divina Perfectio propria ipsius, generat, & similiter Essentia propria Filii, & Bonitas, & qualibet Divina Perfectio propria ipsius generatur: & propterea optimè & verissimè dicunt Sancti Patres, quod Filius Divinus sit Essentia genita de Essentia, & Sapientia genita de Sapientia, scilicet Patris, & plura alia similia. Et æquè bene possumus nos dicere, quod Filius sit Bonitas genita de Bonitate Patris, & sit omnis Divina Perfectio genita de omni Divina Perfectione Patris. Et, si hoc non esset ita, quomodo totus Filius esset genitus? Et quomodo totus Pater esset gignens? Et hoc quidem legitur passim in Sanctis Patribus. Et, si totus Filius non esset genitus, in eo esset aliquid genitum, & aliquid non genitum; &, si ita esset, cum genitum & non genitum realiter distinguantur, quia de uno & eodem non potest verè dici, quod sit genitum, & non sit genitum, in Filio essent duo realiter distincta; &, si ita esset, in DEO ultra Pluralitatem Personarum esset alia pluralitas, & esset in DEO pluralitas excedens numerum Trinitatis; & malè diceretur DEUS Unus & Trinus. Quid dicas ad hæc?

Amator Veritatis. Confiteor, quod non sciam, quid contradici possit; si tamen placeat tibi, volo explicare conceptum, quem habebam de Essentia & Personis DEI, ut melius possis me inducere ad percipiendam Veritatem.

Discipulus Lullianaæ Doctrinae. Dic, sed breviter in quantum possis, quia hora est jam progrediendi ad alia propinquiora principali intento.

Amator Veritatis. Ego concipiebam in DEO unam Essentiam communem & tres proprietates, scilicet Paternitatem, Filiationem, & passivam Spirationem, quæ simul cum Essentia communi-

constituant tres Personas : itaque cogitabam, quòd Paternitas simul cum Essentia communi constituat Patrem, & Filiatio simul cum eadem constituat Filium, & similiter de Sancto Spiritu. Quomodo tibi placet iste conceptus ?

Discipulus Lulliana Doctrina. Non audeo hoc dicere, & puto melius esse , quòd tibi aperiam oculos mentis, si possim cum gratia DEI ; ut tu ipse judices te ipsum , & tuum conceptum. Attende ergo : nonne in tua mente habebas quatuor, scilicet unam Essentiam, & unam Paternitatem & unam Filiationem & unam Processionem ?

21. *Amator Veritatis.* Ita est ; sed credebam quòd Essentia non esset realiter distincta à Paternitate, Filiatione & Processione, sed esset realiter idem cum ipsis.

Discipulus Lulliana Doctrina. Et quomodo potest concipi, quòd unum quartum sit realiter idem cum tribus ad invicem realiter distinctis : & quòd ista tria sint realiter unum cum illo quarto ?

Amator Veritatis. Hoc est Mysterium incomprehensibile.

Discipulus Lulliana Doctrina. Bene dixisti, quòd sit incomprehensibile ; sed melius dixisses inintellegibile ; quia est quidem inintelligibile, cùm deficiat ei omnis intelligibilitas, & omnis Veritas. Sed attende amplius, & responde mihi : de quo Pater generat Filium, de Essentia communi , an de Paternitate ?

Amator Veritatis. Semper audivi, quòd generet ipsum de sua Essentia.

Discipulus Lulliana Doctrina. Et ista Essentia, de qua Pater generat Filium, éstne Essentia illa, quam dicis communem, vel est Essentia propria Patris, scilicet Paternitas ?

Amator

Amator Veritatis. Nescio, quid debeam dicere;
& ita rogo, ut mihi hoc declares.

Discipulus Lulliana Doctrina. Nondum est hora,
nec est conveniens, quod tibi hoc declarem; quia
volo, ut videoas, quam male conceperis istam quar-
tam Essentiam simul cum Paternitate constituen-
tem Patrem. Dic mihi, estne possibile, quod Pa-
ter generet Filium de Essentia communi?

Amator Veritatis. Non scio.

Discipulus Lulliana Doctrina. Audi ergo, & at-
tende bene, ut scias: id, de quo Pater generat
Filium, est realiter distinctum a Filio; sed Essentia
communis non est realiter distincta a Filio: er-
go &c. Minor est tua Opinio, quia jam dixisti,
quod non crederes, Essentiam communem esse
distinctam a Paternitate, & Filiatione, & Proces-
sione; & si non est distincta ab eis, multò minus
est distincta a Personis, quas cum eis secundum
tuum conceptum constituit. Majorem sic probo:
id, de quo Pater generat Filium, est ingeneratum,
sive ingenitum; & Filius est genitus: ergo id,
de quo Pater generat Filium, est realiter distinctum
a Filio, cum genitum & ingenitum realiter distin-
guantur; quia aliter unum & idem esset genitum
& ingenitum; quod est contradicatio. Quid dicas?

Amator Veritatis. Non scio, quid possim dicere,
& confiteor me esse confusum.

Discipulus Lulliana Doctrina. Vide ergo, quo-
modo debeas obmutescere, si quis tibi loquatur
subtiliter de DEO.

Amator Veritatis. Confiteor ita esse.

Discipulus Lulliana Doctrina. Dic ergo iterum,
quid sentias in hoc: si in Patre est Paternitas &
Essentia, quid est principale in eo, Paternitas, an
Essentia, nempe Deitas?

Amator Veritatis. Puto, quòd Deitas, per quam est DEUS.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Ergo in Patre est aliquid nempe Deitas, quod est principale, & aliquid, nempe Paternitas, quod non est principale, & idem est intelligendum de Filio & de Sancto Spiritu ; &, cùm principale sit plus & nobilior, quām non principale, in Patre, secundūm tuum conceptum, est aliquid plus & nobilior, & aliquid minus & minus nobile ; & sic Pater quoad aliquid est nobilior Se ipso, & plus Se ipso, & quoad aliquid est minus nobilis, & minor Se ipso ; & idem cogita de Filio, & de Sancto Spiritu ; & quomodo dicit Symbolum Fidei : *In hac Trinitate nihil majus aut minus ?*

Amator Veritatis. Non dico, quòd hoc ita sit realiter, imò dico, quòd Deitas & Paternitas sint realiter idem.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Hic est novissimus error pejor priore ; quia de una & eadem re sinè distinctione intendis dicere, quòd sit aliquid nobilior, & non nobilior respectu ejusdem ; & quòd sit id, de quo generatur Filius, & non sit id, de quo generatur Filius ; quod est contra lumen naturale ab omnibus rationalibus notum, & in rudimentis tuæ scholæ omnibus traditum in illo Principio vel Maximâ, *impossibile est idem simul esse & non esse* ; & *impossibile est idem de eodem simul affirmari & negari verè*. Audi amplius : si esset hoc, quod dixisti, Deitas esset una, & Personæ essent tres, taliter, quòd Deitas non esset Trina, nec Personæ essent una res. Quid dicis ?

Amator Veritatis. Ita est, hoc concedo.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Et quomodo Filius loquens in Humanitate assumpta dicit : *Ego & Pater unum*

unum sumus? Et quomodo Ecclesia Catholica in hymno Matutini pro festo Corporis Christi dicit: *Te Trina Deitas?*

Amator Veritatis. Non scio, quid dicere possim, nisi, quod, quamvis sim Theologus & Theologiae suprema laurea decoratus, tamen parum intelligam de DEO secundum rem; & propterea rogo te, ut digneris mihi dicere, quid in hoc punto sentiendum sit, & dicendum.

22. *Discipulus Lulliana Doctrinae.* O utinam haberem tempus sufficiens, & velles instrui, quam clarè videres, quod Trinitas DEI sit valde intelligibilis, & valde rationabilis! Sed Trinitas, quam habes in mente, est omnino inintelligibilis & irrationabilis, & non est, nisi quædam mala idæa, in quam, si credis, non credis in DEUM; quia DEUS non est talis Trinitas. Scias igitur, quod Deitas sit trina, & una, sicut DEUS est trinus & unus, & quod Deitas, quæ est una, sit Paternitas, & Filiatio, & Processio; & Paternitas, Filiatio & Processio sunt una Deitas; & hoc totaliter eodem modo, sicut DEUS, qui est unus, est Pater, Filius, & Sanctus Spiritus; & Pater, Filius, & Sanctus Spiritus sunt unus DEUS. Et, sicut non consideras unum DEUM communem, qui per aliquod superadditum fiat Pater, & Filius, & Sanctus Spiritus, ita non consideres unam Deitatem communem, quæ per aliquod superadditum fiat Deitas Patris & Deitas Filii & Deitas Sancti Spiritus, quia tunc in DEO esset aliqua Natura communis, quæ per Specificationem descenderet ad Personas; quod est valde irrationalis; quia non potest esse sine compositione & multis defectibus. Considera igitur, quod, sicut DEUS est trinus & unus, sic Deitas sit trina & una; quia DEUS est Deitas

omnino; & sic etiam Bonitas sit trina & una, & quilibet alia Divina Perfectio. Et considera, quod, sicut Pater est activus in ordine ad Filium, sic Deitas Patris sit activa in ordine ad ipsum Filium, & similiter Bonitas & omnis Divina Perfectio Patris sit activa in ordine ad Filium. Et, sicut DEUS est Deitas & Bonitas & omnis Divina Perfectio, sic DEUS Pater, qui est DEUS activè, sit Deitas activa sive Paternitas, & Bonitas activa, & omnis Divina Perfectio activa; & similiter discurre de Filio passivè, & de Sancto Spiritu processivè. Et, si ita consideres, videbis, & intelliges, quod Pater de sua Deitate generet Filium DEUM, & de sua Bonitate generet ipsum bonum, & de sua Æternitate æternum, & de plenitudine omnis perfectionis, quam habet, generet ipsum plenariè perfectum, & omnino sibi æqualem, sicut passim docent sancti Patres: Et idem discurre de Filio & Sancto Spiritu proportionatè. Sed, si consideras unam Essentiam communem, & quasi specificatam per Personalitates, quæ simul cum ipsis constitutæ Personas, & ex parte cuius se habeant omnes Divinæ Perfectiones communes Patri, & Filio, & Sancto Spiritui, tunc habebis ex parte istius communis Essentiæ omnem Perfectionem, & nullam ex parte Personarum, nisi per participationem communis Essentiæ; &, cum communis Essentia non generet, nec generetur, nec spiret, nec spiretur, tunc omnis Divina Perfectio erit omnino sterilis, & Patre generante Filium generabit nullam perfectionem, & sua generatio erit deterioris conditionis omni generatione creaturarum, quarum nulla est, per quam non generetur aliqua Perfectio. Intelligis?

Amator Veritatis. Ex parte intelligo, & valde miror de raro modo declarandi illa, quæ mihi semper fuerunt inintelligibilia; adverte tamen, quòd ego non omnino credebam ea, quæ dixi, quia naturaliter meus intellectus, & mea voluntas repugnabant, sed credebam illa esse aliquo alio modo superiore omni nostrâ intelligentiâ, & omnino imperceptibili. Nunc habeo adhuc unam solam difficultatem in supradictis, quam si mihi solvas plenariè, omnia credam. Difficultas est, quia, ut dixisti, Pater est Deitas, sicut est DEUS, & est Bonitas, & est omnis Divina Perfectio, & per consequens est Essentia; &, si ita est, cùm Pater generet Filium, Essentia generat ipsum; cùmque idem proportionatè debeamus dicere de Filio, qui generatur, Essentia etiam generatur; quod est contra illud: *Essentia non generat, nec generatur* de Fide definitum, ut pluries audivi. Unde infero, quòd vel falsa sint supradicta, vel falsum sit de Fide definitum.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Gaudeo de hac objectione; quia mihi indicat, te jam esse propinquum intelligentiæ veritatis; quamvis etiam indicet te non bene percepisse omnia, quoniam, si ea percepisses, hanc difficultatem non haberes; quia in supradictis jam sufficiens solutio continetur. Sed absit à te, & à me, & ab omnibus dubitare de rebus ab Ecclesia definitis; quia ipsæ sunt magis infallibles, quàm nostra scientia. Scias ergo verum esse, quòd Essentia non generet, nec generetur; &, si hoc non est definitum, est adhuc definibile; hoc autem nullatenus contradicit meis dictis; quia, quando dicitur: *Essentia non generat, nec generatur*, loquitur de Essentia communi; quæ, si generaret, & generaretur, tota Trinitas generaret

& generaretur, ut jam supra dixi, & hoc est manifestè falsum. Propter idem, loquendo de DEO in communi debemus dicere: *Nec generat, nec generatur; nec spirat, nec spiratur;* & idem debemus dicere de Deitate, & de Bonitate, & de omnibus Divinis Perfectionibus in communi; cum omnia, quæ dicuntur de DEO in communi, & de Divinis Perfectionibus, dicantur verè de tota Trinitate. Unde, sicut, licet DEUS in communi non generet, nec generetur, tamen DEUS Pater generat, & DEUS Filius generatur; ita, licet Essentia, & Deitas, & Bonitas, & cæteræ Divinæ Perfectiones in communi non generent, nec generentur, tamen Essentia propria Patris generat, & Essentia propria Filii generatur, & idem est dicendum de Deitate, & Bonitate, & cæteris Divinis Perfectionibus propriis, quæ omnes generant in Patre, & generantur in Filio. Capis ista?

23. *Amator Veritatis.* Capi. Sed habeo nunc aliud dubium, & est: *quænam sit differentia inter Essentiam communem, quæ non generat, nec generatur, & Essentiam propriam Patris, quæ generat, & propriam Filii, quæ generatur?*

Discipulus Lulliana Doctrinae. Essentia communis est Essentia Patris & Filii & Sancti Spiritus, sive Paternitas, & Filiatio, & passiva Spiratio, vel Processio, sicut DEUS communis, sive communiter sumptus & sine addito, de quo dicimus, & credimus, quod sit Trinus & Unus, est DEUS Pater, & DEUS Filius, & DEUS Sanctus Spiritus; & Essentia Patris est Essentia non omnium trium, sed solius Patris, & est illa Essentia, de qua Pater generat Filium; quia de sua propria & non de communi generat ipsum; nam, si generaret ipsum de communi Essentia, generaret ipsum de Essentia ipsius

ipsius Filii ; &, si ita esset, Filius esset realiter distinctus à suamē Essentia ; cùm manifestum sit, quòd ipse sit distinctus ab eo, de quo est genitus, sicut est distinctus ab eo , à quo est genitus , vel saltem non minus ; quoniam id, de quo Filius est genitus , est ingenitum non minus , quàm id , à quo est genitus , & ipse est genitus, & hoc realiter ; & manifestum est, quòd idem non possit esse genitum & ingenitum, cùm contradictoria prædicata non possint de uno & eodem subiecto verè dici. Idem est dicendum de Bonitate communi & propria, & de Æternitate communi & propria, & sic de cæteris Divinis Perfectionibus. Itaque Essentia communis est distincta realiter ab unaquaque Essentia propria modo, quo tota Trinitas est distincta ab unaquaque Persona ; quia, sicut nulla Persona est Trinitas realiter, nec Trinitas realiter est ulla Persona , ita nulla Essentia propria est realiter communis , nec Essentia communis est realiter ulla Essentia propria. Et, sicut Trinitas est tres Personæ simul , & tres Personæ simul sunt Trinitas sine ulla distinctione, ita Essentia communis est tres Essentiæ propriæ simul , & tres Essentiæ propriæ simul sunt Essentia communis sine ulla distinctione. Capis ?

24. Amator Veritatis. Capiō, & non capio ; quia non possum capere, quòd Pater sit DEUS, & Filius sit DEUS, & Spiritus Sanctus sit DEUS, & sint ad invicem realiter distincti , & non sint tres DII, & inde puto provenire, me non posse capere, quòd Paternitas sit Deitas, & Filiatio sit Deitas, & Processio sit Deitas, & sint ad invicem distinctæ, & non sint tres Deitates.

Discipulus Lullianaæ Doctrinae. Non miror, quòd hoc non capias, nec capere possis ; quia scio, non

esse tibi traditum modo intelligibili ; si enim tali modo tibi traditum esset, mirarer, si non caperes ; quia valde captibile vel intelligibile est, licet sit incomprehensibile. Si omnes Magistri ad se informandum & habilitandum, ut doceant mirabilia DEI, legerent Sanctos Patres, qui fuerunt aureus canalis, per quem à DEO venerunt nobis notitiae rerum Divinarum, & super hanc lectionem meditarentur, ut intelligerent, antequam docerent alios, non esset tanta ignorantia in suis Discipulis ; sed, quia hoc non faciunt, relinquunt fontem aquæ vivæ, & fodiunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas ; & propterea plures sunt cæci, & duces cæcorum. Ego scio, quod in S. Augustino de Trinitate ita clarè contineatur, quomodo Pater, & Filius, & Sanctus Spiritus sint unus DEUS, quod certè mirarer, si aliquis hoc legeret, & non intelligeret.

Amator Veritatis. Dignare igitur mihi indicare, quomodo hoc sit.

Discipulus Lulliana Doctrinae. Dic mihi, quid habeas in mente, & unde proveniat tua difficultas.

25. *Amator Veritatis.* Ego habeo hunc conceptum : Pater est DEUS, & est distinctus à Filio, & à Sancto Spiritu ; & Filius est DEUS, & est distinctus à Patre & à Sancto Spiritu ; & Sanctus Spiritus est DEUS, & est distinctus à Patre & Filio ; &, quando hoc considero, statim infert meus intellectus : Ergo sunt tres DII realiter distincti, & contra hanc illationem non possum me juvare, nisi per solam Fidem nolendo assentiri intellectui, & credendo, non esse tres DEOS, sed unum tantum.

Discipulus Lulliana Doctrinae. Si videres, quam benè tuus intellectus inferat, mirareris, quia re vera in tuo conceptu sunt tres DII. Et, si tuus intel-

intellectus ultra pergeret, & argueret sic: quia Pater est Persona, & Filius est Persona, & Sanctus Spiritus est Persona, & sunt distincti ad invicem, propterea Pater, & Filius, & Sanctus Spiritus sunt tres Personæ ad invicem distinctæ: ergo, quia Pater est DEUS, & Filius est DEUS, & Spiritus Sanctus est DEUS, & sunt distincti ad invicem, sunt etiam tres DII ad invicem distincti; quomo-
do te extricares?

Amator Veritatis. Eodem modo, scilicet dicen-
do: credo & confiteor Catholicam Fidem.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Et, si aliquis Ju-
dæus, vel Gentilis philosophus veniret ad te, &
diceret, se velle fieri Christianum, dummodo ei
ostenderes, hæc supradicta non esse contra ratio-
nem; quid faceres?

Amator Veritatis. Non me teneas ita suspen-
sum, dic mihi pro amore DEI, quid in re sit.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Audi attentè: Si
ego interrogarer: an in Divina Trinitate Pater sit
DEUS? Responderem distinguendo, & dicerem:
quod sit DEUS simul cum Filio, & Sancto Spiritu,
sed non divisim; & idem dicerem de Filio, & de
Sancto Spiritu; & tunc quis rationabiliter posset
inferre, ergo sunt tres DII? Certè nullus. Sicut,
si aliquis te interrogaret: an Pater sit Trinitas?
Nonne responderes, Patrem esse Trinitatem simul
cum Filio, & Sancto Spiritu, sed non divisim,
quia aliter essent tres Trinitates;

Amator Veritatis. Percipio, & gaudeo, & gra-
tias ago tibi, & DEO, qui me direxit ad te, & tibi
dedit veram Scientiam, quâ me illuminares.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Gaudeo similiter,
& gratias ago DEO, qui tibi dedit intellectum ad
intelligendum. Et scias, quod hæc sit expressa
doctri-

doctrina Sancti Augustini in libris de Trinitate, in quibus legi non in uno solo loco, *non nisi tres Personas simul esse DEUM.*

Amator Veritatis. Pergamus iterum; sed jam non recordor ubi eramus, quia valde multum distracti sumus.

Discipulus Lulliana Doctrinae. Ego adhuc recordor. Ergo possumus verè dicere, quod Pater sit Deitas, & Bonitas, & omnis Divina Perfectio activè, scilicet generativè; & sic, quod omnis Divina Perfectio agat in DEO, & intra DEUM, Patre generante Filium, & Patre & Filio spirantibus Sanctum Spiritum?

Amator Veritatis. Concedo: & in hoc jam nullum habeo dubium.

26. *Discipulus Lulliana Doctrinae.* Dic mihi iterum: *Divinae Perfectiones quomodo agunt in DEO, & intra DEUM, æqualiter aut inæqualiter?*

Amator Veritatis. Omnino æqualiter; quia bene video, quod ipsæ sint omnino æquales, ut sint infinitæ, & nullum habentes defectum; & video etiam, quod omnes sint DEO Patri æqualiter Ratio generandi Filium; quare Filius est genitus à Patre æqualiter bonus ratione Bonitatis Patris, & immensus & æternus ratione Immensitatis & Æternitatis ipsius Patris, & non magis bonus, quam immensus, nec magis immensus, quam æternus; & sic de cæteris Divinis Perfectionibus, quas concedo concurrere æqualiter ad Generationem Filii, & etiam ad Processionem Sancti Spiritus; & ideo concedo Divinas Perfectiones esse omnino æquales in essendo, & in agendo in DEO, & intra DEUM.

Discipulus Lulliana Doctrinae. Valde bene. Mihi placet iste tuus conceptus, & scias, quod verus sit;

quia

quia aliter non potest esse, neque intelligi, quod omnes Divinae Perfectiones sint una simplex Perfectio, & quod in DEO nulla realis Pluralitas reperiatur, nisi sola Trinitas Personarum.

Amator Veritatis. Gaudeo, & transeo ad proponendum meum conceptum contra Aequalitatem Divinarum Perfectionum in agendo ad extra, scilicet in ordine ad creaturas.

27. *Discipulus Lulliana Doctrina.* Bene, prosequere ad proponendum quidquid velis; sed antea responde mihi ad hoc unicum: *Nonne DEUS amat Aequalitatem suarum Perfectionum?*

Amator Veritatis. Amat sine dubio; quia aliter non amaret omne, quod est in se ipso, cum tamen omne sit amabile, & dignum amari.

Discipulus Lulliana Doctrina. Ergo DEUS plus amat majorem Aequalitatem suarum Perfectionum, quam minorem.

Amator Veritatis. Concedo, quia ipse amat infinitam Aequalitatem in eis.

Discipulus Lulliana Doctrina. Responde iterum, & confitere ingenuè, quid tibi dicat tua conscientia ad hoc: si Divinae Perfectiones sunt æquales in effendo, & agendo ad intrà, & etiam ad extra, nonne est inter eas major Aequalitas, quam si sint æquales in effendo, & agendo tantum ad intrà, & non ad extra?

Amator Veritatis. Certum est, quia, si sint æquales in effendo, & in agendo ad intrà, & ad extra, est inter eas nulla inæqualitas; &, si sint æquales in effendo & in agendo ad intrà, & inæquales in agendo ad extra, est inter eas aliqua inæqualitas; & manifestum est, esse majorem Aequalitatem, ubi nulla est inæqualitas, quam ubi est aliqua inæqualitas.

Discipulus Lulliana Doctrinae. Optimè discurris. Et quid dicens ad hanc consequentiam : ergo plus amat DEUS hanc majorem Æqualitatem, quam illam minorem?

Amator Veritatis. Captus sum, & nescio, quomodo ita faciliter, imò & sinè ulla advertentia.

28. *Discipulus Lulliana Doctrinae.* Non mireris; quia hæc est facilitas, quam dat Lulliana Ars, cui nullus ingenuus resistere potest. Attende ulterius, & responde : judicásne, quod Divinæ Perfectiones possint agere ad extra nisi modo, quo sunt.

Amator Veritatis. Non bene intelligo, & ideo rogo, ut te explices.

Discipulus Lulliana Doctrinae. Libenter hoc faciam, quoties non intelligas. Attende : Divinæ Perfectiones sunt bona, potentes, virtuosæ, & veræ, ut indubitabile est. Nunc ergo dic mihi : judicas, quod ipsæ possint agere ad extra, nisi bene, potenter, virtuosè & verè?

Amator Veritatis. Non judico, quod possint operari, nisi hoc modo.

Discipulus Lulliana Doctrinae. Ergo non possunt operari, nisi modo, quo sunt. Ergo multò minus possunt operari opposito modo, scilicet male, impotenter, vitiosè & falso.

Amat. Verit. Concedo omnia ista esse verissima.

Discipulus Lulliana Doctrinae. Ergo necessarium est, quod operentur modo, quo sunt, & impossibile est, quod operentur modo opposito.

Amator Veritatis. Concedo etiam hanc consequentiam.

Discipulus Lulliana Doctrinae. Ergo, cum omnes Divinæ Perfectiones sint æquales, est necessarium, quod omnes operentur sive agant ad extra æqualiter; & est impossibile, quod operentur inæqualiter.

Amator

Amator Veritatis. Non scio, quomodo possim hoc negare ; quia ratio me compellit omnino ; timeo tamen, ne in hoc sit aliqua fallacia, quam nunc non advertam ; & de facto audivi non semel, argumenta Lullistarum esse fallacias, & nihil in re.

29. *Discipulus Lulliana Doctrina.* Quòd hoc audieris, nihil facit ; quia hoc non audivisti ab expertis, sed ab inexpertis & à malevolis, ut dixisti ; an autem in re sit fallacia in prædictis, relinquo tuæ considerationi examinandum ; &, si fortè videretur tibi eam invenire, redi ad me, & ego ostendam tibi, eam esse in tua phantasia, & non in re. Volo tamen, ut aliam rationem audias, quæ fortè te convincet plūs, quam antecedens. Sed prius responde mihi ingenuè : *Putásne esse decens DEO, quòd ipse in se sit unum, & extra se ostendat se alium?*

Amator Veritatis. Non puto hoc decere DEO, & tanquam indecens puto esse ei impossibile, quia esset quodammodo mentiri factis, si non verbis.

Discipulus Lulliana Doctrina. Bene putas ; quia, si DEUS, cùm sit in se, & intrà se bonus, & verus, & justus, se ostenderet extra malum, & falsum, & injustum, fingeret in se malitiam & falsitatem & injustitiam, vel simularet ad modum illorum hypocritarum, qui, cùm sint mali, & superbi in se, ostendunt se extra bonos & humiles. Ergo bene possumus dicere : quòd DEUS non possit extra se ostendere suas Perfectiones, nisi tales, quales sunt in se ? Et multò plūs possumus dicere, quòd non possit eas ostendere tales, quales non sunt, nec possunt esse ?

Amator Veritatis. Hoc est certum, & sine dubio est pura Veritas.

Discipulus Lulliana Doctrina. Ergo, cùm DEUS habeat omnes suas Perfectiones bonas, non potest in creaturis significare eas malas.

Amator Veritatis. Hoc mihi est certissimum & totaliter innegabile.

Discipulus Lulliana Doctrina. Bene. Ergo, cùm DEUS habeat omnes suas Perfectiones æqualiter bonas, & æternas, & potentes, & virtuosas, & omnino æquales, tūt libenter concessisti, non potest in suis Operibus significare eas inæqualiter bonas, nec ullatenus inæquales.

Amator Veritatis. Ratio, & legitima consequentia cogit, me totum hoc concedere.

Discipulus Lulliana Doctrina. Nunc igitur responde mihi: si Divinæ Perfectiones essent inæquales in agendo ad extra, nonne hoc esset significare in operibus eas esse inæquales in DEO?

Amator Veritatis. Non scio, quid possim respondere, nec qua conscientia possim istud negare; quia bene video, quòd, si Divinæ Perfectiones essent malæ, vel falsæ, vel vitiosæ in agendo ad extra, hoc esset significare in operibus eas esse tales in DEO, maximè cùm dicat Christus in Evangelio: *Non potest arbor mala bonos fructus facere, neque arbor bona, malos;* & ex fructibus eorum cognoscetis eos, significans, quòd in creaturis quales sunt effectus, tales sint causæ; &, si hoc est ita in creaturis, in quibus potest esse falsitas & simulatio, potius est in DEO, in quo sunt impossibiles.

Discipulus Lulliana Doctrina. Gaudeo, quòd hoc videas; scias tamen, quòd istæ probationes nondum sint totaliter radicales & manifestativæ intenti; aliæ sunt plures adhuc multò meliores.

Amator Veritatis. Nisi videro, non possum hoc credere, quia istæ videntur mihi optimæ.

30. *Discipulus Lullianæ Doctrinæ.* Audi ergo, & vide : Nonne omnes Divine Perfectiones sunt una sola perfectio?

Amator Veritatis. Certum est realiter loquendo ; quia realis distinctio non est, nec potest esse inter ipsas, nec per consequens realis pluralitas, quæ sine reali distinctione esse non potest ; & hæc est damnata inter Divinas Perfectiones.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Realiter loquor, & infero : ergo non est possibile unam Divinam Perfectionem operari, vel agere ad extra, quin operentur omnes.

Amator Veritatis. Concedo, quia non potest esse, neque intelligi, quod una sit omnes, & operante unâ non operentur omnes.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Ergo non est possibile, quod una Divina Perfectio habeat effectum extra se, quin omnes habeant effectum extra se.

Amator Veritatis. Etiam concedo ; nec video, quomodo possit negari.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Ergo non est possibile, quod una habeat majorem vel minorem effectum extra se, quin omnes habeant ipsum.

Amator Veritatis. Teneor iterum concedere.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Dic ergo nunc : estne possibile, unam Divinam Perfectionem habere extra se majorem effectum, quam ipsa, & omnes habere majorem effectum, quam omnes?

Amator Veritatis. Nullatenus, quia esset manifesta contradictione.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Ergo nulla potest esse major aliis in agendo ad extra, quia tunc deberet esse major se ipsâ, cum aliæ sint ipsa ; &, cum una sit omnes, omnes deberent esse maiores omnibus.

Amator Veritatis. O bone DEUS ! Totaliter sum convictus , & confiteor me esse sufficienter illuminatum ad percipiendum , omnia prædicta esse verissima . Sed non possum satis mirari , quod hæc ita per se manifesta non sint discursa ab adversariis .

Discipulus Lulliana Doctrinae. Non mireris adhuc , majora videbis , & tunc cum majori fundamento miraberis ; omnia enim , D^EO dante , faciam tibi non minus manifesta , quam præcedentia .

Amator Veritatis. O utinam ita sit . Et DEUS te benedicat pro singulari gratia , quam mihi facis . Pergamus ad aliud .

Discipulus Lulliana Doctrinae. An non habes aliquid objiciendum , ut ex solutione possis melius percipere Veritatem , & in ea confirmari ?

Amator Veritatis. Habeo quidem multa , sed jam non recordabar præ stupore concepto in prædictis .

Discipulus Lulliana Doctrinae. Objice igitur , quia nondum est hora stuporis .

31. *Amator Veritatis.* Libenter hoc faciam , & jam incipio : Si Divinæ Perfectiones sunt æquales in agendo ad extra , sequitur , quod onenes habeant extra se aqualem effectum . Et , si ita est , sequitur , quod in quacunque creatura sit impressa similitudo unius Divinæ Perfectionis , sit etiam impressa similitudo cuiuslibet alterius . Et , si ita est , sequitur , quod in qualibet creatura sit impressa similitudo Divinæ Infinitatis , & Divinæ Æternitatis & Immensitatis , cùm in qualibet sit impressa similitudo Divinæ Bonitatis .

Discipulus Lulliana Doctrinae. Non malè discurris , & totus iste discursus est verus & verissimus .

Amator Veritatis. Ergo , cùm omnis creatura sit bona per hoc , quod participet Similitudinem Divinæ

vinæ Bonitatis, etiam omnis creatura est infinita, & æterna, & immensa per hoc, quod participet similitudinem Divinæ Infinitatis, & Æternitatis & Immensitatis. Hoc autem non est verum in ulla creatura ; cum nulla sit infinita, nec æterna, nec immensa : ergo patet, quod creaturæ plus participent Divinam Bonitatem, quam Infinitatem, & Æternitatem, & Immensitatem ; & per consequens etiam patet, quod Divina Bonitas habeat majorem effectum in creaturis, quam Infinitas, & Æternitas, & Immensitas : ergo non sunt æquales in agendo ad extra.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Pulchrè formasti tuum discursum ; sed tamen conclusionem fundâsti in falsa suppositione.

Amator Veritatis. Ubi sit hæc falsa suppositio, non video ; quia à principio usque ad finem discurrit tantum proportionatè, quantum potui & scivi.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Attende & videbis : verum est in omnibus creaturis esse similitudinem Divinæ Infinitatis & Æternitatis & Immensitatis non minus, quam Divinæ Bonitatis ; quia aliter Divina Bonitas non esset Divina Infinitas, & Æternitas, & Immensitas, cum istæ non haberent suam similitudinem in creaturis, & illa haberet ipsam in eis ; quod esse non potest, nisi cum distinctione inter istas & illam ; quia de uno & eodem non potest verificari, quod habeat suam similitudinem in creaturis, & non habeat eam in ipsis ; cum sit manifesta contradic̄tio. Sed falsum est, quod omnis creatura sit bona per hoc præcisè, quod participet similitudinem Divinæ Bonitatis, & sit effectus ipsius ; quia, si hoc esset verum, etiam omnis creatura esset infinita & æterna & immensa per hoc, quod participaret similitudinem Divinæ

Infinitatis, & Æternitatis, & Immensitatis, ut bene discurrebas; quam quidem similitudinem omnis creatura participat, eo ipso, quod participet similitudinem Bonitatis, quæ Bonitas est Infinitas, & Æternitas, & Immensitas; cum sit manifeste impossibile, & inintelligibile, & etiam incredibile, quod Bonitas sit Infinitas, & è converso, & Bonitas habeat suam similitudinem in creaturis, & Infinitas, quæ est ipsa Bonitas, eam non habeat in ipsis creaturis. Et idem intellige de Æternitate, & Infinitate. Unde totum hoc provenit ex hoc, quod similitudo Divinæ Bonitatis impressa creaturis sit creata bonitas, & similitudo Divinæ Infinitatis impressa ipsis non sit creata infinitas, nec similitudo Æternitatis sit creata æternitas, nec similitudo Immensitatis sit creata immensitas; non autem ex hoc, quod similitudo omnium Divinarum Perfectionum non sit in omnibus creaturis omnino æqualiter.

Amator Veritatis. Certum est, charissime, quod me confundas in tantum, quod non sciam, quid debeam dicere; non tamen video, quod habeas rationem, saltem in aliquibus; quare enim similitudo Divinæ Bonitatis in creaturis existens sit bonitas, & similitudo Divinæ Infinitatis non sit infinitas, & similitudo Divinæ Æternitatis & Immensitatis non sit æternitas & immensitas, non video.

Amator Veritatis. Quomodo non? An non scis, quod similitudo Divinæ Bonitatis sit aliquid multò minus, quam ipsa Divina Bonitas?

Amator Veritatis. Hoc quidem scio.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Ergo similitudo Divinæ Infinitatis est etiam aliquid multò minus, quam Divina Infinitas.

Amator Veritatis. Sine dubio ita est.

Disci-

Discipulus Lulliana Doctrina. Quomodo ergo hæc similitudo poterit esse Infinitas?

Amator Veritatis. Jam video, & gratias ago. Video itaque, quod in qualibet creatura possint esse similitudines omnium Divinarum Perfectio-
num; & concedo, quod de facto sint, licet non omnes istæ similitudines vocentur eodem nomine, quo vocantur Divinæ Perfectiones; & in hoc nullam Invenio repugnantiam, imò multas invenio convenientias, ad quas me inducunt rationes, quas supra allegasti. Quare autem quædam similitudines Divinarum Perfectionum existentes in creaturis vocandæ sint eodem nomine, quo vocantur ipsæ Divinæ Perfectiones, sicut similitudo Divinæ Bonitatis vocatur Bonitas, & similitudo Divinæ Potestatis, Potestas, & quædam non, non percipio, & tamen hoc libenter scire cupio.

Discipulus Lulliana Doctrina. Pro hac ratione debes recurrere ad impositores nominum, quia ego nullam aliam scio, nisi voluntatem.

32. *Amator Veritatis.* Sum contentus: eatmus ad aliud, & dic mihi: *Quomodo est possibile, quod Divina Potestas non sit major, quam Divina Voluntas in ordine ad creaturas, cum videamus Divinam Potestatem posse plura facere, quæ Divina Voluntas non vult facere?*

Discipulus Lulliana Doctrina. Vidésne hoc bene, & in tantum, quod scias, te non errare?

Amator Veritatis. Bene video, & non timeo in hoc ullum errorem.

Discipulus Lulliana Doctrina. Quid si ego videam oppositum, & faciam te videre oppositum?

Amator Veritatis. Si me hoc facias videre, puto, quod posses facere me videre tenebras in meridie ad præsentiam solis.

Discipulus Lulliana Doctrina. Dic mihi: quomodo, & in quo vides, quod Divina Potestas possit facere plura, quam Divina Voluntas velit facere?

Amator Veritatis. Hoc video in hoc, quod Divina Voluntas faciat, quidquid vult, & tamen faciat pauca respectu illorum, quae Divina Potestas potest facere.

Discipulus Lulliana Doctrina. Verum est, quod Divina Voluntas faciat quidquid vult; quia ipsa non invenit, nec invenire potest ullam resistentiam; cum nihil sit potens resistere Divinae Voluntati; sed, quomodo scis, quod ipsa faciat pauca respectu illorum, quae Divina Potestas facere potest?

Amator Veritatis. Hoc scio, quia, si Divina Potestas non posset facere plura, quam Divina Voluntas velit, & faciat, ipsa esset finita; quia non posset facere nisi finita, cum manifestum sit, quod Divina Voluntas non velit facere nec faciat, nisi finita.

Discipulus Lulliana Doctrina. Gaudeo, quod hoc scias. Sed dicio mihi, quodnam est inconveniens, quod Divina Potestas sit finita in possendo ad extra?

Amator Veritatis. Inconveniens est, quia tunc DEUS esset finitus in possendo.

Discipulus Lulliana Doctrina. Dic mihi iterum, quid melius tibi videtur, quod DEUS sit infinitus in possendo ad extra, vel quod sit finitus?

Amator Veritatis. Multò melius esse judico, quod DEUS sit infinitus in possendo ad extra, quam quod sit finitus.

Discipulus Lulliana Doctrina. Ergo etiam esset multò melius, quod DEUS esset infinitus in voluntando ad extra, quam quod sit finitus. Ergo multò melior esset DEUS, si vellet facere omnia, quae tu judicas ipsum posse facere, quam sit de facto

facto nunc, quando tantum vult facere ea, quæ facit. Ergo falsum est id, quod vos dicere soletis in vestris scholis, scilicet: *Quod DEUS sit ens, quo melius aliquid cogitari non potest*, quia ego cogitando DEUM facere omnia, quæ potest, cogito DEUM meliorem DEO vestro, qui non facit dimidium eorum, quæ potest, imò neque decimam, neque centesimam, neque millesimam partem. Quid dicitis ad hæc?

Amator Veritatis. Confiteor me non scire, quid debeam dicere.

Discipulus Lulliana Doctrina. Ego tamen scio, &, si placet, dicam tibi, quid debeas dicere.

Amator Veritatis. Dic ergo, quia quidquid sit, libenter acceptabo, dummodo rationabile sit.

Discipulus Lulliana Doctrina. Confitere, DEUM esse omnino perfectum sine ullo defectu, neque ex parte Voluntatis, neque ex parte Potestatis, neque ex parte ullius alterius Perfectionis; &, ad extollendum potestatem DEI non deprimas Voluntatem ipsius; imò, neque ipsam Potestatem deprimas putando eam exaltare & extollere; & considera in DEO, Potestatem & Voluntatem esse omnino æquales, & unam esse aliam, sicut jam supra concessisti; &, si una est alia, certum est, quod, quantum extenditur una, tantum extendatur alia, &, quantum objectum habet una, tantum objectum habeat alia.

Amator Veritatis. Parce mihi, quia non video, & videre cupio, in quo ad extollendam Potestatem DEI deprimeo ejus Voluntatem, & etiam ipsam Potestatem.

Discipulus Lulliana Doctrina. Attende, & videbis. Ut ponas DEUM infinitum in possendo ad extra, dicas eum plus posse, & minus velle, & per con-

sequens non curas de Voluntate, & permittis eam manere inferius, nempe finitam in volendo: igitur hoc modo deprimit eam, faciendo eam minorrem, quæ tamen nullatenus est minor; quia in DEO nihil est minus; cum, quidquid est in eo, sit infinitum. Deprimis etiam utramque, quia in utraque ponis defectum.

Amator Veritatis. Ostende mihi quomodo, quia certè hoc non percipio.

Discipulus Lulliana Doctrina. Attende: nonne defectuosa est Potestas, quæ multum potest, & parum facit? Et quomodo excusabitur à defectu Voluntas, quæ, cum possit multa bona facere, non vult facere nisi pauca?

Amator Veritatis. In nobis videtur mihi ita esse; sed in DEO, ne exhauriatur sua Potestas, videtur mihi aliud debere esse.

Discipulus Lulliana Doctrina. Attende, & responde mihi in conscientia: nonne defectuosa est Potestas in nobis, quæ multum potest, & parum facit; quia non faciendo bonum, quod possumus, habemus Potestatem otiosam, & otiositas mala est? Et quomodo DÆUS potest excusari de otiositate in sua Potestate, si ipse non faciat bonum, quod potest, imò si respectu boni, quod potest facere, ferè nihil boni faciat? Et quomodo ista otiositas adeo magna, imò & maxima, non erit magnus & maximus defectus? Attende ulterius, & dic mihi: nonne melius est posse facere bonum, & facere bonum, quam posse, & non facere? Et etiam nonne melior est Voluntas, quæ vult facere bonum, quod potest Potestas, quam Voluntas, quæ non vult illud facere?

33. *Amator Veritatis.* Non scio quid rationabiliter contradicere possim; & tamen non possum tota-

totaliter consentire in hoc, quod Potestas DEI non possit valde plura facere, quam voluntas velit facere.

Discipulus Lulliana Doctrina. Si tu scires discurrere fundate per Divinas Dignitates, sive Divinas Rationes, & cognoscere, nullum defectum esse in eis, neque actualem neque possibilem, libenter consentires; quia videres in hoc, quod dico, Perfectionem, & in hoc, quod dicis, & concidis, videres defectum; quia tamen non scis ita discurrere, accidis Perfectionem pro defectu, & defectum pro Perfectione; & habes in tuo conceptu DEUM valde defectuosum, qui re vera non potest esse verus DEUS, in quo nullus est defectus.

34. *Amator Veritatis.* Explica mihi, queso, quomodo in hoc, quod dico, sit defectus, & quomodo concipiā DEUM defectuosum. *Et dic mibi antea, quid intelligas nomine Divinarum Dignitatum, & Rationum.*

Discipulus Lulliana Doctrina. Divinas Dignitates cum meo Illuminato Magistro appello Divinas Perfectiones, & etiam appello eas Divinas Rationes; itaque nomine ipsarum intelligo illud idem, quod tu intelligis per Divinas Perfectiones. Sed scire debes, quod valde rationabiliter Divinæ Perfectiones appellantur *Dignitates & Rationes*; appellantur enim *Dignitates*, quia per ipsas est DEUS dignus omni Honore & Reverentia, & sine ipsis nullam Dignitatem haberet omnino. Quare enim DEUS esset dignus amari & honorari super omnia, nisi haberet Bonitatem, & Nobilitatem, & Virtutem, & Potestatem super omnia? Certè nisi eas haberet, non esset dignus amari & honorari super omnia; & quia ipsis habet, est dignus; & propterea tota sua Dignitas venit ei à suis Perfectionibus, & ideo istæ verè & bene vocari pos-

sunt & debent Dignitates. Dicuntur etiam *Rationes*, quia sunt DEO Ratio essendi hoc, quod est, & Ratio agendi hoc, quod agit; Ratio enim, quare DEUS est bonus, est sua Bonitas, sine qua ipse non esset bonus; & Ratio, quare ipse agit bonum in se, & extra se, est etiam sua Bonitas, & similiter est sua Bonitas Ratio quare, vel melius dicendo, per quam ipse bene agit, quidquid agit: unde vides, quod rationabiliter appellemus cum nostro Sancto Doctore Divinas Perfectiones *Dignitates*, sive *Rationes*.

Amator Veritatis. Percipio, & consentio quod sic nominentur; quare in posterum eas nominabo similiter.

35. *Discipulus Lulliana Doctrina.* Attende ergo nunc, ut scias distinguere inter *Perfectionem* & *Defectum*: eo ipso, quod aliquid positivum sit *Perfectio*, ejus contrarium est *Defectus*. E. g. Si *Scientia* est *Perfectio*, *Ignorantia* est *Defectus*; & ita, ubi est *Scientia* cum *Ignorantia*, est *Perfectio* cum *Defectu*; & ubi est *Scientia* sine *Ignorantia*, ibi est *Perfectio* sine *Defectu*; & ubi esset *Ignorantia* sine *Scientia*, ibi esset *Defectus* sine *Perfectione*. Et hoc est universaliter verum tam in DEO, quam in *Creaturis*. Concedis hæc?

Amator Veritatis. Concedo sine ullo dubio; quia evidenter video esse vera.

Discipulus Lulliana Doctrina. Eamus nunc ad maiorem specificationem, ut videas id, quod ego intendo: cum *Perfectio Potestatis* sit posse, & *Perfectio Intellectus* sit scire, & *Perfectio Voluntatis* sit velle, *Defectus Potestatis* est non posse, & *Defectus Intellectus* est non scire, & *Defectus Voluntatis* est non velle. Est ita?

Amator

Amator Veritatis. Ita est, si loquamur de Potestate in ordine ad possibile, & de Intellectu in ordine ad scibile, & de Voluntate in ordine ad volibile; si autem non sic loquamur, non est verum; quia non puto, quod ullus possit judicare rationabiliter Defectum Potestatis in non posse impossibile, nec Defectum Intellectus in non scire non scibile, nec Defectum Voluntatis in non velle non volibile.

Discipulus Lulliana Doctrina. Ita loquor, & non aliter; quia non inquiero cavillationes; & jam scio, quod non sit defectus Potestatis in DEO per hoc, quod non possit producere extra se alios DEOS; nec sit defectus Intellectus in ipso per hoc, quod non sciat alios DEOS; nec sit defectus Voluntatis per hoc, quod ipsos non velit; quia alii DII nec sunt possibles, nec scibiles, nec volubiles. Et ita infero discurrendo sic: ergo, ut in Potestate DEI non sit defectus, requiritur, quod ipsa possit omne possibile; &, ut in Intellectu DEI non sit defectus, requiritur, quod ipse sciat omne scibile; &, ut in Voluntate DEI non sit defectus, requiritur, quod ipsa velit omne volibile. Et, si Divina Potestas non potest omne possibile, est in ea defectus; &, si Divinus Intellectus non scit omne scibile, est in eo defectus; &, si Divina Voluntas non vult omne volibile, est in ea defectus. Intelligis, & vides ista esse vera?

Amator Veritatis. Intelligo, & video; sed non possum consentire ad concedendum, quod Divina Voluntas velit omne volibile, licet libenter concedam, quod Divina Potestas possit omne possibile, & Divinus Intellectus sciat omne scibile.

Discipulus Lulliana Doctrina. Sed dic mihi: potesne concipere, quod Divina Potestas possit esse perfecta sine Defectu, quin possit omnia possibilia?

Amator Veritatis. Non possum ; imò semper conciperem ipsam cum defectu, si conciperem, quòd non posset omnia possibilia.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Et potes concipere, quòd Divinus Intellectus possit esse perfectus sine defectu, quin intelligat omnia intelligibilia?

Amator Veritatis. Nullatenus ; imò semper conciperem ipsum cum defectu, si conciperem, quòd non intelligeret omnia intelligibilia.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Et quomodo potes concipere Divinam Voluntatem perfectam sine defectu, concipiendo ipsam non velle omnia volibilia?

Amator Veritatis. Certè non scio, & confiteor me esse confusum, & non scire, quid debeat dicere.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Respice, & vide, quomodo confundaris passim, quia malè fundatus discurris de DEO ; sed attende, quām citò iterum angustiaberis. Dic mihi : nonne in DEO Potestas est Voluntas, & Voluntas est Potestas ?

Amator Veritatis. Realiter loquendo concedo ; quia jam concessi, & jam sum firmus in hoc, quòd realis distinctio non sit in DEO, nisi inter Personas.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Realiter loquor ; quia nolo loqui, nisi de DEO reali. Attende ergo, quomodo tibi placeat iste discursus : non potest in DEO Potestas esse Voluntas, quin in eo actus Potestatis sit actus Voluntatis : sed actus Potestatis est posse, & actus Voluntatis est velle : ergo non potest in DEO Potestas esse Voluntas, quin in eo posse sit velle. Sed in DEO non potest posse esse velle, si posse plus extendatur, sive plura respiciat, quām velle : ergo in DEO posse non plus extenditur, nec plura respicit, quām velle. Sed omnia, ad quæ extenditur, & quæ respicit posse, DEUS potest, & omnia, ad quæ

quæ se extendit, sive quæ respicit velle, DEUS vult: ergo non plus potest DEUS, quam velit, nec minus vult DEUS, quam possit.

Amator Veritatis. Placet mihi iste discursus, & concedo, quod me convincat ex una parte; quia non scio, quid possim in eo negare. Sed in contrarium habeo multa objicienda.

Discipulus Lulliana Doctrina. Objice ergo unum vel aliud ex maximis, ut ex solutione, quam tibi dabo, possis conjicere solutionem aliorum minorum.

36. *Amator Veritatis.* Ex hoc sequeretur, quod DEUS non posset creare aliud mundum meliorem & nobiliorem isto, quem creavit; quia de facto illum non vult creare; quoniam, si vellet, ipsum crearet, cum ipse creet, quidquid vult. Quid dicis ad hoc?

Discipulus Lulliana Doctrina. Ad hoc respondeo primò, quod bene dicas, quod DEUS creet quidquid vult; cum ejus Voluntas nulli sit subdita, immo sit Domina absoluta super omnia, à nullo potens adhuc in minimo impediri; & ita, si DEUS non velit creare aliud mundum, ipse non potest; si autem DEUS vellet creare aliud mundum nobiliorum & meliorem isto, certum est, quod posset; quia ipse potest, quidquid vult. Ratio est manifesta; quia, ubi Potestas est Voluntas, ibi actus Potestatis est actus Voluntatis; in DEO Potestas est Voluntas, ut certum & indubitate est secundum supradicta: ergo in DEO actus Potestatis est actus Voluntatis; sed actus Potestatis est posse, & actus Voluntatis est velle; ergo in DEO posse est velle. Eo ipso quod posse in DEO sit velle, non est in eo, nec esse potest posse sine velle, nec velle sine posse; sicut, eo ipso, quod homo sit animal rationale, non potest esse homo sine animali rationali,

tionali, nec è converso ; & ubicunque est homo, est animal rationale, & è converso ; &, si est homo, est animal rationale, & è converso : ergo in DEO non potest esse velle sinè posse, & è converso ; &, si in DEO est velle, est posse, & è converso ; &, si in DEO non est velle, non est in eo posse, nec è converso : ergo, si in DEO esset velle creare alium mundum meliorem & nobiliorem isto, esset in DEO posse creare ipsum: unde manifestè vides, si bene attendis, quòd, si DEUS vellet creare alium mundum nobiliorem & meliorem isto, posset. Sed, sicut si vellet, posset, ita, si posset, vellet ; quia ubi posse est velle, posse est inseparabile à velle, sicut ubi velle est posse, velle est inseparabile à posse. Quomodo te potes dissolvere ab isto ligamine ?

Amator Veritatis. Ergo debemus dicere, quòd DEUS non possit creare alium mundum nobiliorem & meliorem isto ?

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Non dico hoc, sed dico, quòd, si DEUS non velit ipsum creare, non possit. Et est mirum, quòd tu audeas dicere, quòd DEUS non velit, & tamen possit; cùm non possis intelligere hoc ita esse, nec posse ita esse, nisi ita sit, quòd in DEO posse sit distinctum à velle, quòd tamen non dicis. Nonne advertisti, quid requiratur ad hoc, ut aliqua res sit nobilior, & melior alia ? Si hoc nondum considerasti, considera, & dic mihi, quid tibi dicat tuum judicium.

Amator Veritatis. Ego non considero, quòd aliud requiratur, quàm quòd habeat nobilior & melius esse.

37. *Discipulus Lullianæ Doctrinæ.* Et quomodo cognosces, quòd una res habeat nobilior & melius esse, quàm alia ?

Amator

Amator Veritatis. Hoc cognoscam, loquendo de rebus corporalibus, qualis est iste mundus, & esset alius, de quo dubito, videndo, quod habeat nobiliorem & meliorem materiam, & pulchriorem formam seu dispositionem exteriorem, & de qua posset sequi major utilitas.

Discipulus Lulliana Doctrinae. Malè judicas, & non miror, quod decipiariſ; quia non consideras principale ſignum Nobilitatis & Bonitatis. Secundum tuum judicium nobilior & melior eſſet gladius aureus valde pulchrè dispositus, & artificatus, quām gladius ferreus non adeo pulchrè constructus, quamvis ferrum eſſet optimum & fortissimum, & potens penetrare, & resistere ictibus adverſariorum, & aurum nihil horum haberet. Et, si diceres talem gladium eſſe nobiliorem, & meliorem omni gladio ferreo non ita pulchro, nonne irridereris ab omnibus peritis in arte gladiatoria?

Amator Veritatis. Jam video, quod non ſufficiat conſiderare Nobilitatem & Bonitatem materiæ, & dispositionem, & pulchritudinem ipsius, ſed ultra requiratur alia conſideratio, quapropter nobilior & melior fit gladius ferreus ex bono ferro & nullam pulchritudinem habens, quām gladius aureus pulcherrimus, & ex optimo auro conſtructus. Et idem dicerem etiam de indusio lineo, quod melius & nobilis eſſet, quam indusium ex puro auro; quamvis iſtud eſſet pulcherrimum, & illud nullam pulchritudinem haberet. Quare rogo te, ut mihi dicas, quid ultra conſiderandum fit; quia video, quod ſine dubio hoc melius ſcies, quām ego.

Discipulus Lulliana Doctrinae. Ego puto eſſe conſiderandas quatuor causas in qualibet re ad cognoscendum Nobilitatem & Bonitatem ipsius, ſci- licet

licet Efficientem, Materiam, Formam, & Finem. Itaque, ut alius mundus esset nobilior & melior isto, judico esse necessarium, quod haberet vel nobiliorem causam efficientem, vel nobiliorem materiam, vel nobiliorem formam, vel nobiliorem finem, quam iste habeat. Judicásne ita esse?

Amator Veritatis. Ita esse judico, quia non video, quomodo ex alio capite possit una res esse nobilior aliâ, nisi ex uno vel alio istorum, vel ex omnibus.

Discipulus Lulliana Doctrinae. Satis bene vides. Dic ergo mihi nunc: est possibile, quod alias mundus habeat nobiliorem & meliorem causam efficientem quam iste?

Amator Veritatis. Nullatenus est possibile; quia iste habet DEUM.

Discipulus Lulliana Doctrinae. Ergo ex hoc capite non est possibilis alias mundus nobilior isto.

Amator Veritatis. Concedo; quia hoc est evidenter verum.

Discipulus Lulliana Doctrinae. Eamus igitur ad alia capita, & dic mihi: est possibile, quod alias mundus habeat nobiliorem materiam, de qua ceteratur, quam iste?

Amator Veritatis. Hoc puto esse possibile.

Discipulus Lulliana Doctrinae. Et quomodo possibile? Nonne DEUS creavit istum mundum de nihilo, & deberet creare alium etiam de nihilo, si vellet ipsum creare? Et quomodo concipi potest, quod unum nihil sit nobilioris alio?

Amator Veritatis. Non dico quantum ad hoc; quia jam video, quod, cum nihil nullam habeat nobilitatem, nullatenus sit nobile, nec per consequens nobilioris alio nihilo. Sed dico, quod DEUS posset creare de nihilo materiam nobiliorem &

melio-

meliorem, quām sit materia hujus mundi, & facere de ea alium mundum nobiliorem isto.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Non obliviscaris materiæ illius gladii aurei, de qua supra locuti sumus, & recordare, quòd, quamvis aurum sit nobilior ferro, non tamen sit materia æquè nobilis, & æquè bona ad faciendum gladios, sicut ferrum. Et ratio est, si fortè eam non advertisti, quia aurum non est ita proportionatum ad finem gladii, sicut ferrum, ut tu clare insinuasti, si recordaris, in exemplo, quod adduxisti de induſio lineo & aureo. Itaque scire debes, quòd Nobilitas & Bonitas alicujus artefacti, quale est mundus, non sit desumenda ex materia utcunque, sed ex proportione, quam debet habere materia simul cum forma in ordine ad finem, quem intendit artifex in constructione artefacti. Et, si putas invenire materiam magis proportionatam ad hoc, ut cum forma mundi se habeat ad finem, quem DEUS intendit in constructione mundi, deciperis. Et deberes considerare, quòd DEUS talem materiam melius agnoverit, quām tu; & cùm illam non elegerit, sed istam, signum est, quòd illa non sit ita proportionata ad finem mundi, sicut ista; quia DEUS est sapientissimus, & justissimus in omnibus suis electionibus, sicut etiam in omnibus suis operibus; qualis non esset, si tu posses facere meliorem electionem materiae pro mundo, quām ipse fecerit.

Amator Veritatis. Non dico, quòd ad finem, quem DEUS habuit in creatione hujus mundi, posset inveniri, vel posset fieri nobilior, & melior materia, & magis proportionata, quām sit ista materia hujus mundi; & idem dico de forma; sed ad alium finem, quem DEUS potuit habere in

creatione hujus mundi, & potest habere in creatione alterius, credo, quod posset inveniri, vel fieri a DEO alia materia nobilior, & melior, ut cum alia forma etiam nobiliori se habere posset ad ipsum finem constituendo alium mundum.

Discipulus Lulliana Doctrina. Ergo jam concedis, quod iste mundus ad finem, quare creatus est, non possit habere materiam nec formam magis proportionatas, & per consequens, quod cum nulla alia materia & forma esset nobilior & melior, quam sit cum ista, quam DEUS ei dedit.

Amator Veritatis. Hoc libenter concedo, ne tenear concedere, quod aliquis nostrum posset inveniri, qui esset sapientior & prudentior artifex hujus vel alterius mundi ad eundem finem creatibilis, si haberet Potestatem creandi, quam sit vel fuerit DEUS in creatione hujus mundi.

Discipulus Lulliana Doctrina. Ergo, nisi DEUS crearet alium mundum propter Finem nobiliorem, & meliorem, quam sit finis, propter quem crevit istum, non est possibile, quod alias mundus habeat nobiliorem causam efficientem, nec nobiliorem materiam, nec nobiliorem formam, nec nobiliorem finem, quam habeat iste mundus, qui de facto creatus est; & per consequens, nisi DEUS habeat nobiliorem, & meliorem finem, non potest creare alium mundum nobiliorem & meliorem isto.

Amator Veritatis. Hoc libenter concedo; quia jam video, quod alias mundus non potest habere meliorem causam efficientem; cum iste habeat DEUM; nec possit habere nobiliorem & meliorem materiam & formam, nisi propter nobiliorem finem, cum iste habeat materiam & formam proportionatissimas ad suum finem, quantum dici & credi possit.

38. *Discipulus Lullianæ Doctrinæ.* Dic ergo mihi nunc: quinam finis est, vel potest esse nobilior & melior fine, propter quem creavit DEUS istum mundum?

Amator Veritatis. Multi fines possunt esse sine dubio nobiliores, & meliores, quos DEUS cognoscit.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Assigna unum existis. Et, si ipsum assignes, & me facias ipsum videre, tunc ego inferam per legitimam consequiam, (quod tamen absit dicere) DEUM esse stultum, & stultissimum in tantum, quod aliquid æquè stultum inveniri, nec cogitari possit, & consequenter ipsum non esse DEUM. Quid enim stultius cogitari potest, quam agens vel operans potens operari propter perfectissimum finem sine ullo inconveniente, & sine ullo labore, & nolens operari, nisi propter finem minus nobilem? Nonne scis tu, quod operari propter nobiliorem finem sit valde melius, quam operari propter minus nobilem? Hoc patet in qualibet operatione facta propter DEUM, quæ est actus charitatis valde nobilior, quam esset, si fieret propter alium finem minus nobilem. Et, si quod finis est nobilior, eò nobilior est operatio facta propter ipsum, si DEUS noluisset creare mundum propter finem nobilissimum inter omnes fines, quos potuit habere in creatione, hoc fuisse non velle, quod sua creatio esset nobilissima operatio, cum tamen potuisset æquè faciliter, sicut potuit nunc, propter finem, quem habuit. Et quæ stultitia major, vel æqualis cogitari potest? Si scires, propter quem finem DEUS creavit istum mundum, non cogitasses, quod potuerit creare ipsum, nec possit creare alium propter nobiliorem finem. Et, si hoc non sciebas, non debebas ita absolutè credere hoc, quod

dixisti ; quia certè est credere aliquid de DEO valde indignum, & valde culpabile : quare multò melius esset ignorantibus nihil dicere, nec cogitare de DEO, quām ita stulte loqui, & credere. An tu talis es, quōd operareris, sicut putas DEUM operatum esse, quando posses multò melius sine ullo inconveniente operari ? Et credis, quōd, si ita operareris, non reputareris stultus, & imprudens, quia relicto majori bono eligeres minus ? Absit talia cogitare de DEO, & qui non scit, saltem credit Scripturæ dicenti Prov. Cap. 16. v. 4. *Universa propter semetipsum operatus est Dominus.*

Amator Veritatis. Parce mihi ; quia non putabam, nec credere potuisssem, meum conceptum esse ita extra viam Veritatis, & Justitiae, sicut erat, ut video : quare ex hoc nunc confiteor, quōd DEUS creaverit mundum propter se ipsum, & per consequens, quōd non potuerit habere in creatione hujus mundi, nec possit habere in creatione alterius nobiliorem finem, quām de facto habuit. Et confiteor consequenter, quōd alias mundus non possit habere nobiliorem & meliorem causam efficientem, nec materialem, nec formalem, nec finalē, quām iste ; sicque non est possibilis, ut video, alias mundus nobilior & melior isto. Sed non possum satis mirari de isto extraneo modo discurrendi, & probandi, & convincendi, quem video in te ; & scire vellem, unde extraxeris istum mirabilem modum.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Miraris, quia non tractasti alios instructos in Arte & Doctrina Illuminati Doctoris, quos si tractasses, sine dubio non mirareris de mea exiguitate, imò cognosceres in me valde magnam paupertatem, & insufficientiam. Quo non obstante scire debes, quōd ego possem multis

multis aliis modis, & rationibus valde diversis tibi ostendere omnes Veritates supradictas ; quamvis sim minimus verorum Lullistarum, & indignus vocari tali nomine ; quia hæc Ars, & Doctrina est quoddam mare magnum, & ferè infinitum Sapientiæ & Scientiæ DEI : quod, si quis introierit, quamvis non multum in eo se profundaverit, non potest non excellere inter omnes extraneos , & fieri admiratio eorum omnium , dummodo isti velint libenter, & liberè, & sine pertinacia attenderet, sicut tu usque modo fecisti.

Amator Veritatis. Transeamus ad alia, ut majus experimentum sumam de excellentia & nobilitate, quam habet hæc Divina scientia super omnes alias doctrinas nunc temporis in scholis usitatas ; quia jam video nullam esse ei comparabilem.

39. *Discipulus Lullianæ Doctrinæ.* Sed ante quām veniamus ad ulteriora, debeo aliud dicere, quia recordor me dixisse ad præcedentem difficultatem respondeo primò. Itaque scire debes, quòd, si aliquis mihi proponeret hanc quæstionem : *Utrum DEUS possit creare alium mundum nobiliorem & meliorem isto?* Non responderem ei neque affirmativè, neque negativè, nisi priùs mihi explicaret, quid intelligeret per illud posse. Et, si mihi responderet se intelligere per posse sufficientiam Potestatis, & nihil ultra ; tunc ego dicerem : igitur quæris solùm : utrum Potestas DEI sit sufficiens ad creandum alium mundum nobiliorem & meliorem isto ? Et, si ipse mihi responderet, ita esse, ego dicerem, quòd ad suam quæstionem respondeo affirmativè. Itaque intelligendo per posse solam sufficientiam potestatis, dico, quòd possit DEUS creare alium mundum nobiliorem & meliorem isto ; & non solùm unum, sed etiam plures, &

plusquam mille millia millionum ; & hoc est certissimum, quia omnes isti mundi essent non solum divisi, sed etiam simul sumptu aliquid finitum, & ferè nihil respectu infinitæ Potestatis DEI, quæ est sufficiens ad multò plus sine omni comparatione.

Amator Veritatis. Hoc est, quod ego dicebam, dicendo, quod DEUS posset creare alium mundum nobiliorem & meliorem isto ; quia non intendebam dicere, nisi quod Potestas DEI esset sufficiens ad hoc : itaque meus conceptus non erat adeo extra viam Veritatis, sicut putabam ex tuis dictis.

40. *Discipulus Lulliana Doctrinae.* Si tuus conceptus per hanc partem non deviabat à Veritate, per aliam valde multum deviabat ; quia valde improprietate loquebaris de posse & velle DEI ; si enim per hoc præcisè, quod Potestas DEI habeat sufficientiam ad creandum alium mundum, dicebas ipsam posse eum creare, quare per hoc, quod Voluntas DEI habeat etiam sufficientiam ad creandum ipsum, non dicebas ipsam velle eum creare ? Attende, & vide an possis invenire rationem, per quam possis judicare, quod rationabiliter loquereris. Si dicas : quod Voluntas DEI non habeat sufficientiam tantam, quantam habet Potestas, per hoc significabis minoritatem ex parte Voluntatis & majoritatem ex parte Potestatis, & consequenter, vel quod Potestas & Voluntas non sint unum & idem in DEO, vel quod de uno & eodem verificari possint sufficientia & insufficientia, majoritas & minoritas respectu ejusdem ; & hoc est contradictorium & impossibile secundum te ipsum, & tuam scholam, & secundum omnem rationalitatem. Et, si dicas, quod posse soleat accipi pro sola

sola sufficientia Potestatis, & velle ultra sufficientiam accipiatur pro actu positivo in ordine ad objectum volitum, respice, an hoc rationabiliter fiat; si enim posse est infinitivum verbi *possim*, sicut *velle* est infinitivum verbi *volo*, quare *velle* debet significare actum, & non sufficientiam tantum, & posse non debet significare etiam actum, & non sufficientiam tantum? Nonne omnia verba significant actum? Vide an possis invenire ullum significans solam sufficientiam? Et, si non potes, quare istud verbum *possim* debet excipi ab hac generalitate?

Amator Veritatis. Ego non scio aliam rationem, nisi solum usum loquendi, scilicet, quia in hac significatione solet usurpari verbum *possim*, & non in simili usurpantur alia verba.

Discipulus Lulliana Doctrinae. Hoc esset bonum pro uno ignorantे ex illis, qui ambulant & comedunt, quia vident alios ambulare & comedere; sed nihil valet pro homine docto & sapiente, quia iste debet omnia judicare, & cavere, ne accipiat abusum pro usu, cum debeat scire, quod *stultorum infinitus est numerus*. Si tibi licet dicere sine scrupulo & sine ratione: quod DEUS possit creare alium mundum nobiliorem & meliorem isto, quia vulgo accipitur posse pro sola sufficientia Potestatis, quamvis irrationaliter, quare non licebit mihi dicere sine scrupulo, & cum ratione, quod DEUS non possit, si non velit: cum sciām Potestatem DEI esse Voluntatem, & posse DEI esse *velle* DEI sine ulla distinctione? Et maximè, cum inveniam in Sanctis Patribus: DEUM tantum posse, quantum velle, & tantum velle, quantum posse? Hoc exp̄ressē legi in Sancto Fulgentio. Et in Sancto Anselmo legi, quod, quoties dicatur aliquem posse, est intelligendum si vult. Itaque,

si dixisses, quòd DEUS, si vellet creare alium mundum nobiliorem & meliorem isto, posset, bene dixisses, & libenter hoc tibi concessissim; dicere autem, quòd non velit, & possit, non est concessibile; quia est separare Potestatem à Voluntate, & facere unam majorem alia.

Amator Veritatis. Confiteor, quòd sim magis confusus nunc, quàm unquam; quia facis me videre in me, & in aliis tantam ignorantiam, ne dieam stultitiam, quantam nunquam potuisse credere nec actualem, nec possibilem in viris doctis.

Discipulus Lulliana Doctrina. Adhuc parùm vides, & tamen miraris cum fundamento in re; quid faceres, si videres multò plura, & fortè mājora in hoc præsenti punto?

Amator Veritatis. Ostende mihi unum; quia certè gaudeo videndo magnitudinem mēx ignorantiae.

41. *Discipulus Lulliana Doctrina.* Attende: Potéſne DEUS operari involuntariè?

Amator Veritatis. Nullatenus; quia aliter ipse esset defectuosus; cùm operari involuntariè non possit provenire nisi à defectu.

Discipulus Lulliana Doctrina. Ergo non potest DEUS operari nisi volendo?

Amator Veritatis. Libenter concedo hanc consequentiam.

Discipulus Lulliana Doctrina. Ergo est impossibile, quòd DEUS creet alium mundum, nisi velit ipsum creare.

Amator Veritatis. Concedo etiam consequentiam.

Discipulus Lulliana Doctrina. Ergo, si DEUS non potest velle creare alium mundum, non potest ipsum creare.

Amator

Amator Veritatis. Ratio me cogit, & me video illaqueatum ; quia nos defendimus, quod Divina Voluntas sit immutabilis, & ratione sua Immutabilitatis non possit velle, quod semel non voluit, nec non velle, quod semel voluit, quod reperio verissimum ; & simul dicimus, DEUM facere, quidquid vult ; & ex hoc, quod non creaverit, nisi unum mundum, inferimus, ipsum non voluisse creare nisi unum. Nunc autem manifestè video, hæc sibi invicem contradicere ; quare ex hoc nunc concedo, DEUM non posse facere, nisi id, quod vult ; & concedo etiam Potestatem & Voluntatem esse in DEO omnino æquales in posse & volendo. Sed adhuc habeo aliam difficultatem ; quia ex hoc sequitur, quod DEUS non potuerit redimere humanum genus, nisi per suam Incarnationem, Passionem & Mortem ; nec potuerit creare mundum citius, quam ipsum creaverit, nec potuerit creare plures, nec pauciores homines, nec Angelos, nec stellas nec ulla alias creaturas, quam de facto creaverit. Quid dicendum ad ista ?

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Ad hoc ego dicerem : quod, si per non posse velint intelligere insufficientiam Potestatis, non sit concedendum ; si autem per non posse velint significare impossibilitatem aliunde provenientem, est concedendum. Sed, si per solam sufficientiam potestatis velint absolute affirmare, DEUM posse, vel potuisse supradicta, non obstante impossibilitate aliunde proveniente, debent etiam affirmare DEUM posse facere quæcumque irrationalibilia ; quia sua Potestas ad omnia sufficit, cum ipsa nullum defectum habeat. Vel aliter dicerem : si DEUS potuit recreare humanum genus sine Incarnatione &c. potuit velle, quod Incarnatio non esset medium

nostræ Recreationis. Et, si DEUS potuit hoc velle, vel potuit simul volendo, quod Incarnatio esset medium nostræ Recreationis, vel ante quam hoc vellet, vel post quam hoc vult. Et, si dicerent, DEUM potuisse hoc velle simul volendo, quod Incarnatio esset medium nostræ Recreationis, tunc inferrem: ergo potuit DEUS habere simul duo *velle* contradictoria. Vel aliter: ergo velle & non velle, quod Incarnatio esset medium nostræ Recreationis, potuit simul verificari de DEO. Et quis rationabiliter posset hoc concedere? Si dicerent: DEUM potuisse hoc velle, ante quam vellet, quod Incarnatio esset medium nostræ Recreationis, tunc inferrem: ergo istud velle DEI, quod DEUS habuit, non est æternum; cum manifestum sit, æternum non posse habere *ante*. Et, si dicerent, quod DEUS potuerit hoc velle, postquam voluit, quod Incarnatio esset medium nostræ Recreationis, tunc inferrem: ergo *velle* DEI potuit transire in præteritum, quod est pejus; quia hoc est proprium rerum temporalium. Vel inferrem aliter dicendo sic: ergo DEUS potuit habere novum *velle*, & per consequens duo *velle* realiter distincta; cum manifestum sit, quod *velle* novum realiter posterius non possit esse unum & idem cum *velle* æterno realiter priori. Quomodo tibi placaret? Et postea serio dicarem: quod Potestas DEI sit bona, & Bonitas, & ideo non possit facere nisi bonum; & sit justa, & Justitia, & ideo non possit facere, nisi quod justum est; & sit omnis Perfectio, & ideo non possit operari, nisi omnino perfectè, nec possit operari aliquid, quod alicui suarum Perfectionum repugnet. Et, si hoc inteligerent, haberent plenariam solutionem, per quam essent remoti ab omni dubio circa supradicta.

Amator Veritatis. Et, si aliquis diceret, quòd, si DEUS faceret supradicta, essent bona & justa ; quia, quod DEUS vult, iustum est & bonum ; &, si ea faceret, ea vellet, quid dices ?

Discipulus Lulliana Doctrina. Interrogarem : an si DEUS vellet mentiri, & mentiretur, & damnaret innocentes, & facheret stultias, & imprudentias, hoc esset bonum & iustum ? Et quid putas possent respondere ?

Amator Veritatis. Puto, quòd responderent affirmative.

Discipulus Lulliana Doctrina. Scias tamen, quòd non responderent sapienter, imò responderent valde insipienter ; quia ad respondendum sapienter deberent dicere, quod dicit in simili re Sanctus Anselmus, scilicet : quòd tunc DEUS non esset DEUS, quia nullatenus posset esse DEUS, qui talem voluntatem haberet.

Amator Veritatis. Sed habeo in hoc difficultatem, quia mentiri, & damnare innocentes, & facere injurias ideo est malum, quia est contra legem DEI ; & est contra ipsam, quia est contra Voluntatem ipsius ; tunc autem non esset contra legem DEI, nec per consequens contra Voluntatem ipsius ; & manifestum est, quòd DEUS non sit sub lege, cùm ipse sit legislator & Dominus absolutus, cui licet facere, quidquid velit.

42. *Discipulus Lulliana Doctrina.* Charissime, licet verum sit, quòd DEUS sit Dominus absolutus nulli legi subiectus ; & etiam verum sit, quòd mentiri & facere injurias, & similia, sit malum in nobis, quia est contra legem, & Voluntatem DEI ; tamen in tuo modo loquendi, & discurrendi mihi indicas, quòd nihil omnino scias de lege & Voluntate DEI ; quia putas, quòd lex ista sit aliquid possi-

positivum à DEO factum, vel constitutum per suam Voluntatem taliter, quod DEUS possit istam legem variare, & mutare ad suum libitum. Nonne scis, quod lex DEI sit aeterna?

Amator Veritatis. Ita, hoc scio; quia nos ipsi hoc dicimus passim dicendo: quod ista, quae sunt mala ex natura sua, sint contra legem DEI aeternam.

Discipulus Lulliane Doctrinae. Dic mihi nunc: estne aliquid aeternum, quod DEUS fecerit?

Amator Veritatis. Jam video, quod legem DEI aeternam DEUS non fecerit; sed fuerit semper, quin fuerit facta; quia, si fuisset facta, fuisset deducta de non esse ad esse, & esset creatura non aeterna.

Discipulus Lulliane Doctrinae. Ergo, si lex DEI aeterna non est facta à DEO, & tamen est, & est aeterna, & cum nullum aeternum sit creatura, ista lex non est creatura; &, cum quidquid est, & non est creatura, sit DEUS, sequitur, quod lex DEI aeterna sit ipse DEUS. Et, si ipsa est DEUS, quomodo ipsam reputas, quasi si esset in manu DEI ipsam mutare vel dissolvere? An putas, quod sit in manu DEI mutare, & dissolvere se ipsum?

Amator Veritatis. Jam video, quod non videbam; & concedo, quod totus meus conceptus fuerit nullus; & per consequens video, quod, si DEUS vellet mentiri, vel facere aliquid aliud contra suam legem aeternam, vellet facere malum, & vellet operari contra se ipsum; cumque non possit esse, neque intelligi, quod operans contra DEUM sit DEUS, bene dicebas, quod, si DEUS vellet mentiri, vel mentiretur, vel aliquid simile facere, ipse non esset DEUS. Itaque relinquamus hoc, & transeamus ad alia; quia bene video, quod, quo plus loquar, eo plus confundar.

Disci-

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Eamus ergo ad quæcunque velis, & propone, quæ tibi placeant.

43. *Amator Veritatis.* Dic mihi : estne verum, quod Theologia sit verè & propriè scientia à nobis acquisibilis in via?

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Quare non? Si enim Theologia non esset verè & propriè scientia acquisibilis à nobis in via, nos possemus habere verè & propriè scientiam de creaturis, & non possemus eam habere de Creatore, scilicet de DEO, & de Veritatibus pertinentibus ad ipsum. Nonne ita est?

Amator Veritatis. Ita est; quia de DEO non possumus habere, nisi Fidem aliqualiter explicatam, & declaratam per discursus theologicos, exceptis aliquibus paucis scilicet, quod DEUS sit, & quod sit unus, & quod sit summum bonum, & aliqua alia, quæ per rationem naturalem manifestantur; de creaturis autem possumus habere, & habemus multas scientias, scilicet Metaphysicam, & Physicam, & Mathematicam, & Arithmeticam & alias.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Dic mihi nunc: unde provenit, quod de creaturis possimus habere tantam scientiam, & de DEO tam paucam?

Amator Veritatis. Ego puto, quod non proveniat, nisi à natura ipsarum rerum, scilicet, quia creature propter suam inferioritatem possint clarè & evidenter cognosci à nobis in hoc statu; DEUS autem propter suam Altitudinem, qua infinitè excellit altitudinem nostri Intellectus, non possit clarè & evidenter cognosci à nobis, nisi in aliquibus paucis supradictis.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Nonne est bonum, quod nos possimus habere claram, & evidentem cogni-

cognitionem de creaturis, & etiam de DEO in hoc, in quo possumus eam habere?

Amator Veritatis. Bonum est, sine dubio; quia aliter non amaretur ab hominibus rationalibus posse hanc cognitionem habere, nec per consequens amaretur eam habere modo, quo amatitur a multis laborantibus ad habendum eam.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Et nonne omne bonum est a DEO tanquam a causa prima & principali?

Amator Veritatis. Ita est; cum DEUS sit, a quo est omne bonum.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Ergo, quod nos possumus habere claram & evidentem cognitionem de creaturis, & de ipsis paucis rebus, quas dicis de DEO, provenit a DEO.

Amator Veritatis. Non possum hoc negare, quia est legitimè deductum ex concessis.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Ergo DEUS dando nobis potestatem multum cognoscendi creaturas, & parum cognoscendi se ipsum, vult, quod multum cognoscamus creaturas, & parum cognoscamus ipsum.

Amator Veritatis. Non possum hoc negare, quia DEUS solum facit hoc, quod vult, & sic dando nobis multam potestatem cognoscendi, vult, quod multum cognoscamus, cum non det nobis istam potestatem, ut habeamus eam otiosam; & dando nobis paucam potestatem cognoscendi, vult, quod parum cognoscamus; quia, si vellet, quod multum cognosceremus, daret nobis multam potestatem.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Attende nunc, quid inde sequatur: ergo multum cognoscere creaturas, & parum cognoscere DEUM, est bonum; cum

cum DEUS non velit, nisi quod est bonum, quia, quod non est bonum, non est volibile.

Amator Veritatis. Non possum hoc negare, nec audeo hoc concedere, & sic non scio, quid debeam dicere.

44. *Discipulus Lulliana Doctrina.* Attende ultra: Nonne DEUS est magis dignus cognosci à nobis, quam creatura?

Amator Veritatis. Est magis dignus sine omni comparatione.

Discipulus Lulliana Doctrina. Ergo Justitia petit, quod DEUS magis cognoscatur, quam creatura; sicut, quia DEUS est magis dignus amari, & honorari, quam creatura, Justitia petit, quod magis ametur & honoretur; & ita justum est, quod DEUS magis cognoscatur à nobis, quam creatura; sicut justum est, quod magis ametur & honoretur. Et ita, si DEUS non vult hoc, non vult, quod justum est, & vult, quod non est justum. Quid dicis ad hæc?

Amator Veritatis. Non scio, quid possim dicere, nisi fortè dicam, quod non sit possibile, quod DEUS plus cognoscatur à nobis, quam creatura in hac vita mortali.

Discipulus Lulliana Doctrina. Ergo DEUS non potest facere, quod nos in hac vita possimus plū ipsum cognoscere, quam creaturas, & ita non potest facere, quod justum est. Et hoc non est ponere defectum in DEO?

Amator Veritatis. Confiteor me esse confusum omnino.

Discipulus Lulliana Doctrina. Attende, & adhuc confunderis plū. Si DEUS non potest facere, quod justum est, vel non potest hoc velle, vel non potest facere, quidquid vult. Et, si primum, non

non potest velle, quod est bonum & volibile; &, si secundum, sua Potestas est impedita. Et multa alia discurrere possem absurdissima, quæ sequentur necessariò, si, quod dixisti, esset verum.

Amator Veritatis. Quid ergo debo dicere?

Discipulus Lulliana Doctrinae. Dic, quòd DEUS vult cognosci plùs, quàm creaturæ à nobis, &, quòd propterea dederit nobis potestatem cognoscendi ipsum plùs, quàm creature, & sic, quòd nos possimus plus cognoscere DEUM, quàm creature. Et, si hoc dicas, affirmabis puram Veritatem, ex qua nullum sequitur inconveniens. Nonne scis, quòd omnis creatura, si cognoscatur, det significationem & demonstrationem de DEO, juxta illud Apostoli: *Invisibilita DEI à creaturâ mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspicuntur.* ad Rom. I. v. 20. Cùm ergo creatura sint tot, & quælibet earum det cognoscenti significationem, per quam possit cognosci DEUS, & nulla creatura sit, de qua dentur cognoscenti tot significationes, est manifestum, quòd plus possit quilibet homo cognoscens creature, cognoscere DEUM, quàm cognoscere ullam creaturam.

Amator Veritatis. Concedo hoc esse verum quantum ad aliquid; quia jam scio, quòd quælibet creatura det aliquam significationem, per quam possumus venire in cognitionem DEI quantum ad suam existentiam, sive quantum ad hoc, quòd ipse sit in esse; sed non possum concedere, quòd hoc sit verum quantum ad omnia, quia multa sunt, quæ non possumus cognoscere in DEO per significationes creaturarum.

Discipulus Lulliana Doctrinae. Nonne advertisti, quòd loquatur Apostolus absolute de invisibilibus DEI nullum excipiendo? Vel audebis dicere, quòd illa,

illa, quæ non possumus cognoscere de DEO, non sint computanda inter invisibilia DEI? Non credo, quòd audeas hoc dicere; quia, cùm DEUS sit invisibilis, & quidquid est in DEO, sit DEUS, ut jam concessisti, omnia, quæ sunt in DEO, sunt invisibilia. Et, si sunt invisibilia, & Apostolus affirmat ea posse cognosci, audebis contradicere ipsi?

Amator Veritatis. Non audeo contradicere Apostolo; nec dico, quòd non sint invisibilia omnia, quæ sunt in DEO; dico tamen, quòd aliqua reluceant in creaturis plus quam alia; & ideo non est mirum, quòd aliqua possimus cognoscere, & alia non.

Discipulus Lullianæ Doctrinae. Ergo judicas, quòd DEUS voluerit, quòd de se ipso aliquid plus cognoscamus, & aliquid minus: & aliquid plus ignorremus, & aliquid minus.

Amator Veritatis. Hoc debeo judicare; quia, si DEUS voluisse, quòd æqualiter cognosceremus ea, quæ sunt in se ipso, dedisset nobis æqualem potestatem cognoscendi omnia, & posuissest in creaturis æqualiter significationem omnium, quod tamen non fecit.

45. *Discipulus Lullianæ Doctrinae.* Quomodo scis, quòd DEUS non velit, quòd omnia, quæ sunt in eo, æqualiter cognoscamus, & consequenter, quòd non posuerit æqualem significationem omnium in creaturis?

Amator Veritatis. Hoc scio, quia video, quòd aliqua cognoscantur in DEO communiter ferè ab omnibus, & aliqua ignorentur ferè ab omnibus.

Discipulus Lullianæ Doctrinae. An non putas, quòd hoc possit esse defectus proveniens à nobis, & à nostris Magistris, & nullatenus à DEO?

Amat. Verit. Hoc non puto, quia, si hoc esset, credo, quòd defectus iste non esset ita generalis, sicuti est.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Quid si tibi ostendam hoc esse defectum nostrum, & unum ex peccatis nostrorum Patrum, quorum iniquitates portamus, & nullatenus posse hanc esse Voluntatem DEI?

Amator Veritatis. Si mihi hoc ostendas, gaudabo, quia me liberabis ab una ignorantia valde in me radicata.

Discipulus Lullianæ Doctrinae. Attende: Voluntas DEI nullatenus potest esse injusta; sed esset injusta, si vellet, quod aliqua, quæ sunt in DEO, plius cognoscerentur, & aliqua minus: ergo Voluntas DEI nullatenus potest hoc velle. Quid dicas ad istum Syllogismum?

Amator Veritatis. Majorem dico, esse veram & indubitabilem; sed minorem puto esse falsam.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Attende ad probationem ipsius: manifestum est, plius amari & honorari, quod plius cognoscitur, si dignum est amari & honorari, quam quod minus cognoscitur, quamvis hoc sit æquè dignum, cum ad amorem & honorem requiratur cognitio dignitatis & perfectionis de re amabili & honorabili. Quid dicas ad hoc?

Amator Veritatis. Hoc non possum negare, quia est mihi certum & evidens.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Ergo, si DEUS vellet, quod aliqua illorum, quæ sunt in eo, plius cognoscerentur, quam alia, vellet, quod illa plius amarentur & honorarentur, quam ista, cum tamen omnia, quæ sunt in eo, sint æqualiter digna amari, & honorari, cum omnia sint æqualiter bona, virtuosa, vera, & glorioſa, ut jam ex tuis concessis supra indubitabile est; quia alias esset in DEO plus & minus, quod esse non potest cum Infinitate. Sequiturne ista consequentia ex antecedenti?

Amator

Amator Veritatis. Sequitur sine dubio : & jam incipio videre, quod hoc non possit esse ; quia non potest esse justa Voluntas, quæ non vult æqualem amorem, & honorem in nobis erga res æqualiter dignas amoris & honoris. Et, si Voluntas DEI non potest esse injusta, sed sit necessariò justa & justissima, sequitur, quod Voluntas DEI non possit hoc velle. Et, si Voluntas DEI non potest hoc velle, sequitur, quod ipsa non possit velle, quod ex æqualiter dignis amore & honore quædam plus cognoscantur, quam alia ; quia hoc velle non potest esse sine velle, quod quædam honorentur plus, quam alia ; cum hoc sit consequens, quod necessariò sequitur ex illo antecedente.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Optimè mihi placet ; quia discurris tanquam verus Lullista : Unde infero, quod non possit DEUS velle, quod ea, quæ sunt in se ipso, non cognoscantur æqualiter. Et, si DEUS non potest hoc velle, ipse non potest non dare nobis æqualem potestatem cognoscendi illa. Et, si ita est, ergo quod nos non cognoscamus ea æqualiter, provenit ex nostro defectu, & non ex Voluntate DEI. Et, si tu recordareris bene de supradictis, & bene scires, quod omnia, quæ sunt in DEO, sunt unum & idem, non habuisses præsentem difficultatem ; quia bene scires non esse possibile, quod in nulla creatura sit significatio alicujus Divinæ Perfectionis, quin in ea sit significatio omnium ; cum una Divina Perfectio sint omnes, & una Divina Perfectio sit, quidquid in DEO est.

46. *Amator Veritatis.* Quamvis non sciam, quid contradicere possim, tamen non possum totaliter consentire, quod ita sit ; quia mihi videtur, quod Unitas DEI sit à nobis multò plus cognoscibilis,

quām Trinitas, cūm ferē totus mundus cognoscat DEUM esse unum, & pauci cognoscant DEUM esse trinum.

Discipulus Lullianæ Doctrine. In hoc deciperis; quia cognoscentes DEUM esse unum, & non trinum, non cognoscunt Unitatem veri DEI, quamvis putent eam cognoscere. Ratio est, quia Unitas veri DEI est Trinitas re verâ, nec potest cognosci, quin cognoscatur esse Trinitas; cūm Unitas veri DEI sit perfecta sine ullo defectu, & non possit cognosci esse talis, nisi cognoscatur esse Trinitas. Non puto, quod pro nunc possis me intelligere, quia habes mentem plenam conceptibus nullatenus juvantibus ad intelligendam Veritatem, & multūm impedientibus intelligentiam ipsius. Tamen breviter volo tibi significare, quid in re est; &, si potes capere, gratias age DEO; &, si non potes, habe patientiam. Attende bene: non est DEUS, quidquid homines vocant DEUM, neque quidquid putant esse DEUM, sed est DEUS solus ille, quem habemus in nostro conceptu, si verè & conformiter ad realitatem DEI concipiamus. Similiter non est Unitas DEI, quidquid homines vocant Unitatem DEI, nec quidquid putant esse ipsam, sed est Unitas DEI sola illa, quam habemus in nostro conceptu, si conformiter ad realitatem ipsius concipiamus; nam, sicut DEUS est ens omnino perfectum, ita sua Unitas est omnino perfecta; &, sicut non est DEUS, quidquid est cum aliquo defectu, ita non est Unitas DEI, quæcumque Unitas sit cum aliquo defectu. Et, sicut habens in suo conceptu ens cum defectu, non habet DEUM in suo conceptu, ita habens in suo conceptu unitatem cum defectu, non habet in suo conceptu Unitatem DEI. Intelligis hæc?

Amat. Verit. Intelligo, & concedo esse verissima.

Disci-

Discipulus Lulliana Doctrina. Dic mihi nunc : putas, quòd habens in suo conceptu DEUM unum & non trinum, hoc est, putando, quòd iste DEUS non sit trinus, imò & Trinitas, habeat in conceptu ens perfectum sine defectu ?

Amator Veritatis. Quare non, si omnem perfectionem possumus concipere in DEO considerando ipsum esse unum, quin consideremus ipsum esse trinum ?

Discipulus Lulliana Doctrina. Non bene me intellexisti, quia non dico, quòd omnia debeamus simul considerare in DEO ; sed dico, quòd, si aliquis haberet in suo conceptu DEUM non trinum, & consideraret istum DEUM unum, haberet in sua consideratione verum DEUM ?

Amator Veritatis. Non, quia verus DEUS est trinus, & quem habet in sua consideratione, non est trinus.

Discipulus Lulliana Doctrina. Et haberet iste talis in sua consideratione ens perfectum sine ullo defectu ?

Amator Veritatis. Certum est, quòd non ; quia solus verus DEUS est ens perfectum sine ullo defectu.

Discipulus Lulliana Doctrina. Nondum me intelligis, audi & loquar pro te : qui haberet in suo conceptu DEUM unum, & non trinum, quamvis putaret concipere ens omnino perfectum, tamen conciperet ens omnino defectuosum ; quia concipiendo DEUM non trinum, conciperet defectum in omnibus Divinis perfectionibus, cùm in omnibus conciperet privationem agentiæ, sive operationis, quæ privatio est defectus. Quis enim potest concipere virtutes operativas non habere defectum, si concipit eas otiosas sine omni agentia vel opera-

tione? Certè nullus; si enim in virtute activa
 vel operativa est perfectio agere vel operari, non
 potest concipi, quòd privatio actionis & opera-
 tionis non sit defectus. Et, si virtus est activa
 vel operativa infinitè, agere & operari debet esse
 in ea infinita Perfectio, & non agere vel operari
 infinitus defectus. Et ecce quomodo, qui con-
 ciperet DEUM unum & non trinum, conciperet
 ipsum infinitè defectuosum; quia, si ex una parte
 putaret concipere in eo infinitas Perfectiones, ex
 alia, sive putaret sive non putaret, conciperet in
 eo infinitum defectum ex parte omnium Perfectio-
 num. Hæc est ratio, quare antiqui Philosophi
 affirmarunt mundum æternum, quia non potue-
 runt concipere DEUM perfectum sine operatione,
 sive sine agentia; & cum hanc non conciperent
 in DEO intrà se ipsum, ne affirmarent in eo de-
 fectum, conceperunt eum habere agentiam &
 operationem extra se, scilicet in mundo, & eam
 habuisse æternaliter; quamvis in hoc valde erra-
 rent, quia est omnino impossibile, quòd DEUS
 habeat operationem extra se, quin prius habeat
 eam intrà se. Et ecce quomodo, qui verè con-
 cipiunt DEUM trinum, concipiunt eum perfectum
 sive omni defectu; quia concipiendo in Patre om-
 nem Perfectionem infinitam cum infinita Actione
 in ordine ad Filium generando ipsum; & conci-
 piendo omnem Perfectionem in Patre & Filio cum
 infinita Operatione in ordine ad Spiritum Sanctum
 dando ei Processionem, concipiunt Divinas Per-
 fectiones cum infinita Perfectione essendi & agendi
 in DEO & intrà DEUM sive ullo defectu. Et con-
 sequenter concipiunt DEUM antecedenter ad crea-
 turas omnino perfectum, & nullatenus defectuosum;
 nec magis perfectum cum creaturis, quam sive ipsi.

47. Amator Veritatis. Quamvis hoc non perfectè intelligam, transeamus ad alia, ex quibus poterit esse, quòd accipiam majorem lucem: *Videtur mihi, quòd, si omnia, quæ tractantur in Theologia, possimus verè & propriè scire, possimus habere scientiam de omnibus Articulis Fidei, & per consequens possimus de omnibus credendis habere claram & evidenter cognitionem.* Et si hoc ita est, fides non potest esse absolutè necessaria ad consequendum vitam æternam, saltem illis, qui habebunt hanc claram & evidentem cognitionem; ad quid enim potest esse necessaria cognitio obscura, qualis est fides, illis, qui habent cognitionem claram & evidenter de iisdem rebus, de quibus est fides?

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Placet mihi hæc objectio, & scias, quòd in solutione ipsius consistat magna & valde utilis scientia. Scito ergo, quòd fides sit absolutè & simpliciter necessaria omnibus viatoribus ad consequendum vitam æternam, quamvis essent sapientiores Salomone, & illuminatores omnibus, qui in rebus Divinis fuerunt unquam à DEO illuminati. Ratio est, quia, si habentes scientiam & illuminationem, per quam viderent intellectualiter omnia, quæ de DEO sunt credenda, non crederent de DEO ultra hoc, quod viderent, sed solum vellent affirmare hoc, quod vident, semper haberent DEUM finitum in suo conceptu, & sic non honorarent ipsum, sicut decet; cùm sua scientia nunquam possit adæquare realitatem ipsius DEI. Itaque si affirmarent DEUM non esse aliquid ultra hoc, quod vident, videndo verum DEUM, haberent in suo conceptu DEUM fictum & falsum; quia re vera DEUS non esset hoc, quod ipsi conciperent. Quare mihi videtur omnino impossibile, quòd homo sapiens & clarè intel-

intelligens ea, quæ sunt de fide credenda de DEO, cadat in hanc stultitiam, quòd non velit credere supra hoc, quod videt. Et hæc est ratio, quare nulla scientia quantumcunque magna sufficiat ad salutem æternam consequendam, sed ultra requiratur fides. Intelligis?

48. Amator Veritatis. Intelligo, & supra modum miror, quia video solutionem alterius dubii, vel melius dicendo alterius difficultatis fundatae in aliquo, quod mihi videbatur omnino impossibile; *credebam enim fidem & scientiam nullatenus posse esse simul in eodem intellectu de eodem objecto*, & nunc video, quòd de facto possint esse simul, & sit factibile, quòd sint simul in intellectu multorum Sapientum. Itaque putabam fidem esse contrariam Scientiæ, & scientiam contrariam fidei, quod video esse falsum.

Discipulus Lulliana Doctrina. In hoc ultimo bene dicas, quia nullæ virtutes sunt, nec possunt esse contrariae; & scientia est virtus, ut vos ipsi dicitis computando eam inter virtutes mentis; & fides est etiam virtus, ut passim afferitur ab omnibus. Sed in primo quamvis partim bene dicas, tamen partim non bene dicas; non enim est verum, quòd fides & scientia possint esse omnino simul in eodem intellectu de eodem objecto actualiter; quia, quando una est in actu, alia non est in actu; potest tamen esse in actu immediate post, & in tanta propinquitate, quòd apparere possit non bene aspicientibus, ipsas esse simul. Potest enim esse, quòd homo actualiter intelligens & sciens DEUM esse bonum, statim post hunc actum scientiæ credat DEUM esse multò meliorem, quam ipse videat & sciat; non tamen potest esse, quòd simul & semel possit utrumque actum habere.

Etiam

Etiā non est verum, quod fides & scientia possint esse cum ista similitudine in uno & eodem intellectu de eodem objecto in eodem gradu; quia fides est talis naturae, quod semper ascendat supra scientiam modo, quo oleum, si ponatur in vase aliquo, in quo postea infunditur aqua, semper superascendit aquam, & elevatur super ipsam: unde debes colligere & scire, quod fides semper sit altior in habentibus scientiam de objecto ipsius, quam in non habentibus eam; quia, quo plus homines sciunt de DEO, eo altius elevant suum credere supra suum scire. Et hoc patet per experientiam cuilibet assueto experiri, quam bonus sit DEUS diligentibus eum, qui, quo majorem experientiam habet de magna Bonitate DEI, & per consequens quo plus scit DEUM esse bonum, eo altius elevat suum conceptum in credendo DEUM esse bonum; & sibi videtur, quod id, quod credebat ante experientiam, esset ferè nihil respectu hujus, quod credit post scientiam provenientem ab experientia: & hinc est, quod soleant dicere: expertus potest credere, quam bonus est DEUS, quasi dicendo, quod inexpertus non possit; & certum est, quod non possit, saltem in eodem gradu; quia, sine scientia, non potest fides ad gradum ita altum ascendere, sicut cum scientia. Hinc patet, quomodo fides nullatenus sit contraria scientiae, nec scientia fidei, immo sint valde concordantes, & se invicem mirabiliter adjuvantes.

49. Amator Veritatis. Ista bene percipio, & sufficienter video, quod sint vera; sed adhuc habeo difficultatem super id, quod dicit Apostolus ad Hebreos C. 11. v. 1. scilicet, quod fides sit argumentum rerum non apparentium; si enim possumus habere scientiam de rebus fidei, & adhuc conservare

fidem, videtur, vel quod habenti scientiam non apparent res, quas per scientiam clare cognoscit, & videt, vel quod in eo sua fides sit rerum apparentium; & hoc utrumque videtur mihi non esse possibile. Quid enim plus appetet intellectui & cognitioni clare videntis & evidenter cognoscientis, quam id, quod intellectualiter & per scientiam cognitionem videt?

Discipulus Lulliane Doctrina. Jam dixi tibi, quod sufficit ad solutionem hujus dubii, & miror, quod ea intellexeris, & adhuc dubites. Recordare, quod dixerim tibi, fidem & scientiam non posse esse in eodem intellectu in eodem gradu, & fidem semper altius ascendere & elevari super scientiam. Si hoc intelligis, vides, quod res in illo gradu, in quo sciuntur, non credantur, & in illo gradu, in quo creduntur, non sciantur; & ita, si res, quae sciuntur, apparent in illo gradu, in quo sciuntur, & res in illo gradu, in quo non sciuntur, & in quo creduntur, non apparent, semper manet verum, quod fides sit rerum non apparentium. Hoc poteras intelligere ex supradictis, & hoc debebas reputare sufficientem solutionem tuæ difficultatis; quia scis, quod in tuis scholis sitis contenti & satisfacti de solutionibus, quæ non sunt plus sufficientes, quam ista, & utinam non essent insufficientiores. Tamen non dico, hanc esse veram solutionem, sed aliam valde diversam.

Amator Veritatis. Dignare ergo pro amore DEI ipsam mihi manifestare.

Discipulus Lulliane Doctrina. Attende bene: sunt in hoc mundo aliquæ res, quæ per se ipsas se manifestant nobis, vel per species immediate nobis ab eis immisssas, & tales sunt omnes res sensibiles, quas per sensus percipere possumus, & de quibus per

per sensus possumus experimentum sumere ; & istæ res propriè loquendo dicuntur apparentes , quia in propria specie apparent , & se manifestant nobis. De ipsis ergo rebus non est fides , quia de eis nulla fit à DEO revelatio ; cum DEUS non curet de revelationibus superfluis , & sine ulla necessitate , & manifestum sit , nullam esse necessitatem revelandi tales res , quæ sine omni revelatione sciri possunt ab omnibus ; quæ enim utilitas esset in revelando , quòd ignis fit calidus , & glacies frigida , & quòd homines habeant duas manus , & unum caput , & similia , quæ sine revelatione nemo ignorat ? Aliæ res sunt , quæ per se ipsas sunt nobis occultæ , quia se ipsas non ostendunt nobis per se neque per species , quas nobis immediate dent , licet aliunde per discursum & per significaciones desumptas à rebus cognitis vel cum juvamine fidei , vel solo lumine naturali possimus eas agnoscere , & de eis scientiam habere. Tales res sunt non apparentes , quia non apparent ostendendo se ipsas , nec videntur in se ipsis ; & propterea dicuntur etiam invisibiles , licet apparent , & videri possint intellectualiter in suis causis , vel in suis effectibus , vel in aliis rebus , cum quibus sunt connexæ ; & tales sunt Angeli & animæ rationales , & brutales , & omnes res spirituales , & omnia invisibilia DEI , de quibus loquitur Apostolus supra citatus ; & de ipsis est & potest esse fides .

50. Amator Veritatis. Video sufficienter , DEO sint laudes ; & ita transire volo ad proponendum alia. Dic mihi : quomodo posset demonstrative probari , quòd in DEO sit Trinitas Personarum ?

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Hoc jam probatum manet supra , ubi ostendi tibi , quòd , si DEUS esset unus , & non trinus , in eo nulla Perfectio esset sine de-

defectu; &, si ipse est trinus & unus, ex nullo capite est in eo defectus. Ex quo potest formare duplēm demonstrationem, quarum unā ostendā necessitatem Trinitatis, & aliā impossibilitatem privationis ipsius; necessarium est enim, quod in DÉO sit omnis Perfectio nullum habens defectum, & impossibile est, quod in DÉO sit privatio hujus Perfectionis, & quod in eo sit defectus. Quid ultra desiderare potes, si jam habes, quo possis manifestē formare demonstrationem ostensivam Veritatis per necessitatem, & per impossibilitatem, quibus juxta vos clauditur omne genus demonstrationis?

Amator Veritatis. Jam video hoc ita esse per necessitatem consequentiæ; sed adhuc cupio ultra videre, ut aliquantulum possim contemplari Trinitatem DEI.

Discipulus Lulliana Doctrine. Numquid velles videre Trinitatem DEI in se ipsa?

Amator Veritatis. Ita, hoc modo vellem eam videre intellectualiter.

Discipulus Lulliana Doctrine. Jam non recordaris de supradictis visibilibus & invisibilibus; neque de verbis Apostoli, scilicet *invisibilia DEI &c.* Si invisibilia DEI in se ipsis possent in hoc mundo intellectualiter videri, non diceret Apostolus, quod conspiciantur per ea, quæ facta sunt, intellecta. Numquid concipis animam rationalem videndo eam intellectualiter in se ipsa, taliter, quod habeas de ea conceptum formatum, per quem possis eam in se ipsa intellectualiter contemplari? Certum est, quod non. Et, si talem conceptum non habes de una creatura, quæ est in te ipso, nec habet anima talem conceptum de se ipsa in hac vita mortali, quomodo poteris istum conceptum habere

bere de DEO tu, vel tua anima? Hoc non potest esse ita faciliter, sicut putabas, nec potest esse, nisi per continuam contemplationem purifaces, & eleves tuam animam, & mundes tuum cor elevando ipsum ad DEUM, qui à mundis corde se finit intellectualiter videri, & non aliter. Nec putas, hoc esse proprium DEI trini, sive Trinitatis DEI; quia non sic est, imò est commune Unitati & Bonitati & omnibus Perfectionibus ipsius, omnes enim æqualiter sunt invisibles, & visibles. Tamen, si subtiliter consideres, & intelligas, quæ considerare & intelligere potes, te multùm juvabis, dummodo discurrere scias, & intelligere elevando intellectum supra sensum & imaginationem, & etiam supra suammet rationem, & eum assuefas ad affirmandum & concipiendum ea, quæ sunt DEI, & in DEO per naturam realitatis objecti.

Amator Veritatis. Quæ nunc loqueris, sunt mihi quasi Hispanicè dicta, quia ferè nihil intelligo, neque scio, quomodo debeam & possim isto modo elevare meum intellectum.

Discipulus Lulliana Doctrinae. Hoc est reliquia peccati tuorum Magistrorum, qui peccant & peccarunt laborando ad docendum inutilia, & omiserunt docere utilia; neque scio, ubi possis hæc & alia addiscere, nisi in Libris Lullianis, & signanter in Arte Inventiva, ubi copiosius hæc tractantur in octava Regula de Punctis transcendentibus, quæ continetur Tom.V. noviter impresso Moguntiæ.

Amator Veritatis. Puto, quòd adhuc me facies esse Lullistam, & laborare in addiscendo hanc cœlestem Doctrinam; quia, quò plus audio te loqui & discurrere, eò plus accenditur in me desiderium intelligendi modo, quo te intelligere cum admiratione

ratione video, quamvis aliunde me videam tota-
liter impeditum & ferè omnino impossibilitatum.

Discipulus Lulliana Doctrinae. Hoc esset optimum
pro te, quia tunc videres mirabilia, quorum non
est numerus, & quæ non licet homini loqui, quia
videt esse totaliter incredibilia. Audi tamen pro
nunc istum brevem discursum, quo volo tibi ostendere
modo possibili, quemodo possit concipere
per evidentem demonstrationem intellectualē,
quod in DEO sit Trinitas Personarum, & per con-
sequens, quod in eo sint tres Personæ, & non
possit esse, neque intelligi, quod sint plures, nec
pauciores. Ad hoc volo à te scire, utrum suffi-
cienter intelligas, & scias, quod DEUS sit ens
omnino perfectum sine ullo defectu; & utrum
hoc scias in tantum, quod video esse necessarium,
quod in DEO sit omnis Perfectio, & quod in eo
sit impossibilis omnis defectus?

Amator Veritatis. Totum hoc sufficienter video,
& scio per gratiam DEI.

Discipulus Lulliana Doctrinae. Bene: ergo etiam
scis esse necessarium, quod in DEO sit, quidquid
requiritur ad salvandum in eo omnem Perfectio-
nem, & esse impossibile, quod in DEO sit, quid-
quid esset in eo defectus.

Amator Veritatis. Totum hoc concedo sine
ulla dubitatione.

Discipulus Lulliana Doctrinae. Attende ergo nunc:
cùm intellectus sit Perfectio, ad salvandum in DEO
omnem Perfectionem, requiritur, quod in eo sit
intellectus. Et, cùm intelligere sit Perfectio intel-
lectus, & ignorare sit defectus ipsius, ad salvan-
dum in Intellectu DEI perfectionem sine ullo de-
fectu, requiritur, quod in eo sit intelligere sine
omni ignorete. Et, cùm non possit esse, neque
intel-

intelligi, quod intelligere sit sine omni ignorare, & non sit infinitum, ad salvandum in intellectu DEI intelligere sine omni ignorare, requiritur, quod in eo sit infinitum intelligere. Et, cum infinitum intelligere non possit esse, neque intelligi sine infinito intelligenti, & infinito intellectu, ad salvandum in Intellectu DEI infinitum intelligere, est necessarium, esse in eo infinitum intelligens & infinitum intellectum. Et, si ita est, ut in DEO ex parte Intellectus sit Perfectio sine defectu, necessario requiritur, esse in eo ista tria, scilicet infinitum intelligens, infinitum intellectum, & infinitum intelligere. Percipis ita esse?

Amator Veritatis. Percipio, & concedo totum; quia est mihi evidens; video enim, quod, si in DEO non esset infinitum intelligens, ex parte intellectus esset defectus, quia virtus intellectiva Divini Intellectus est sine dubio infinita; &, nisi esset tota in actu, esset in ea defectus actualitatis; & si est tota in actu, est infinitè intelligens, quia est intelligens tantum, quantum est intellectiva. Et video etiam, quod, si ipsa est infinitè intelligens, correspondeat ei infinitum intellectum; cum intelligens non possit esse infinitum in intelligendo, nisi intelligat infinitum; nec potest intelligere infinitum, nisi infinitum sit intellectum. Et video tandem, quod intelligere non possit esse infinitum, nisi intelligens sit infinitum & intellectum sit infinitum, & è converso. Discurro bene?

Discipulus Lulliana Doctrinae. Bene discurris; quia sine dubio quantum est intelligere, tantum est intelligens in intelligendo activè, & non plus, nec minus, & è converso; & quantum est intelligere, tantum est intellectum in intelligendo passivè, sive in intelligi, & non plus nec minus;

qui in-

quantum est intelligens in intelligendo activè, tantum est intellectum in intelligendo passivè, & non plus nec minus. Unde patet à primo ad ultimum, quòd non possit esse, neque intelligi Intellectus in DEO perfectus sine ullo defectu sine infinito intelligente, infinito intellecto, & infinito intelligere; quia deficiente Infinitate ex parte unius, vel alterius istorum trium, deficeret statim Perfectio ex parte Intellectus, quia in eo non esset intelligere sine ignorare. Unde patet, quòd in Intellectu DEI non possit esse, neque intelligi infinita Perfectio, sive Perfectio sine omni defectu, sine Trinitate concretorum, quæ sint de linea ipsius intellectus, & quorum unum in linea intellectus sit activum, & aliud in eadem linea sit passivum, & aliud in eadem linea sit processivum sive ab activo & passivo procedens; intelligens enim est activum in linea intellectus, & intellectum est passivum in eadem linea, ut patet; quia intelligens intelligit intellectum, & intellectum intelligitur ab intelligente; & intelligere est processivum, cùm sit actus proveniens & procedens ab intelligentे & intellecto. Intelligis ista, & percipis sine ulla dubitatione esse vera de necessitate?

51. *Amator Veritatis.* Intelligo; sed tamen non video: quomodo ista tria concreta sint aliud & aliud; quia mihi videtur, quòd unum possit esse aliud, & omnia possint esse unum & idem.

Discipulus Lulliana Doctrina. Attende ultra, & DEO dante videbis, quæ nunc non vides; sed, ante quām procedam ad tuum intentum, volo à te scire, an possis concipere, quòd sit possibile, Intellectum in DEO esse Voluntatem sine ulla distinctione ex parte objecti, & non habere in se ullum defectum sine infinito volente, & infinito volito, & infinito velle?

Amator

Amator Veritatis. Nullatenus possum percipere, Intellectum esse Voluntatem, quin Virtus Intellectiva sit Volitiva, & per consequens quin intelligens sit volens; & idem dico de intelligere & intellecto; quia non possum concipere, quod Intellectus sit Voluntas, quin intelligere sit velle, & intellectum sit volitum.

Discipulus Lulliana Doctrinae. Optimè: ergo, si in DEO Intellectus est Voluntas, &, ut non sit in eo defectus ex parte Intellectus, necessariò requiritur, quod sint in eo tria concreta infinita supradicta: etiam requiritur, quod ipsa tria concreta de linea Intellectus sint tria concreta de linea Voluntatis; &, quod infinitum intelligens sit infinitum volens, & infinitum intellectum sit infinitum volitum, & infinitum intelligere sit infinitum velle.

Amator Veritatis. Concedo totum hoc, quia est mihi evidens sine omni dubio.

Discipulus Lulliana Doctrinae. Ergo, si in DEO Intellectus est Bonitas, & omnis Divina Perfectio, &, ut in Intellectu DEI non sit defectus, necessariò requiritur, quod in eo sint tria concreta de linea Intellectus, & de linea Voluntatis, etiam requiritur, quod sint in eo tria concreta de linea Bonitatis, & de linea omnis Divinæ Perfectionis; & etiam requiritur, quod infinitum intelligens, & volens sit infinitum bonificans, & infinitum perficiens in omni linea Perfectionis; & quod infinitum intellectum, & volitum sit infinitum bonificatum, & infinitum perfectum in omni linea Divinæ Perfectionis; & quod infinitum intelligere, & velle sit infinitum bonificare, & infinitum perficere in omni linea Perfectionis.

57. *Amator Veritatis.* Certum est, quod non sciam, quid debeam dicere; quia video, ista esse

vera de necessitate; & video simul, non posse esse, quod tria concreta supradicta non sint realiter distincta ab invicem; quia non possum concipere, infinitum intelligens, & volens esse infinitum bonificans in ordine ad infinitum bonificatum intellectum & volitum; & quod non sit realis distinctio inter ambo; nec possum concipere infinitum intelligens & volens esse infinitum perficiens in omni linea Divinæ Perfectionis in ordine ad infinitum perfectum in omni linea Divinæ Perfectionis intellectum & volitum, & quod non sit realis distinctio inter ambo. Etiam video, quod infinitum bonificans & perficiens in omni linea Perfectionis sit, a quo est infinitum bonificatum perfectum in omni linea Perfectionis, & non est converso; & quod infinitum bonificare & perficere sit ab ambobus, & non est converso; & per consequens video manifestè realem distinctionem inter ista tria, quam non videbam inter intelligentem volentem, intellectum volitum, & intelligere velle; & hoc video cum incredibili stupore, quia nunquam videram similem modum discurrendi. Itaque concedam, quod hac sit vera demonstratio Divinæ Trinitatis, si mihi ostendas quod ista tria sint Supposita & Personæ Divinae.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Attende: nonne vides, quod intelligens volens bonificans & perficiens in omni linea Divinæ Perfectionis sit concretum substantialis naturæ, & sit concretum singulare?

Amator Veritatis. Ita, hoc intelligo; quia intelligo, quod sit concretum Divinæ Naturæ, quæ est manifestè substantialis & singularis.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Est ergo istud concretum per se stans, & per consequens Suppositum; cum per Suppositum nihil aliud intelligatur. Et idem est dicendum de aliis duobus concretis.

53. *Amator Veritatis.* Concedo, quod ista tria concreta sint Supposita ; quia video ita esse ; & etiam concedo, quod ipsa sint Personæ, quia scio, quod per Personam nihil aliud intelligamus, nisi Suppositum intellectualis naturæ, qualis est Divina indubitabiliter. Sed adhuc scire velle, quomodo intelligens & volens sit bonificans, & perficiens in omni linea Divina Perfectionis ; cum ita sit, quod Pater in Divina Trinitate sit intelligens & amans se ipsum, & non sit bonificans nec perficiens se ipsum, nec in omni linea, nec in ulla linea Perfectionis ?

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Nimis multum scire vis, & non audeo tibi omnia dicere, quia video, quod non possis portare modò, cum nondum habeas conceptum sufficienter formatum de Divina Trinitate, quæ sufficienter concipi non potest sine multa speculatione, & alta consideratione super omnia sensibilia & imaginabilia elevata.

Amator Veritatis. Licet ita sit, sicut dicas, & sicut ego ipse video, tamen rogo te, ut aliquid saltem mihi dicas, quo exire possim ab hoc dubio ; & scias, quod ego non tantum petam hoc & alia propter me, quantum propter alios ; quia ex mea parte jam sum satis persuasus de excellentia Doctrinæ Lullianæ, & firmiter propono eam promovere, in quantum possim ; & ad hunc finem vellem posse solvere, quæcunque contra ea, quæ intelligam, dici possit.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Laudo tuum desiderium & tuum propositum, & doleo, quod non possim totaliter sufficere ad complendam tuam voluntatem. Attende tamen, & considera, quod DEUS Pater sit omnino & pure actius, & nullatenus passivus in ulla linea ; quia ipse est purus actus, cuius totum esse consistit in pura actione ;

& ita non est DEUS Pater intelligens & amans se ipsum intellectione & amore terminatis de se ipso ad se ipsum ; quia ipse se totum terminat ad Filium , & nullatenus ad se ; est tamen Pater intelligens & amans se ipsum intellectione & amatione terminata de se ipso ad Filium , & non ad se . Itaque Patre intelligente Filium perfectè , & intelligente Filium esse à se genitum & de se , intelligit se in Filio perfectè intellecto ; & propterea dicunt aliqui Sancti Patres , non solum bene , sed etiam optimè , quòd Pater intelligat & cognoscat se in Filio . Intelligis ?

54. Amator Veritatis. Intelligo , DEO gratias ; sed non video , quòd Pater bonificet & perficiat se in Filio , & propterea nondum habeo sufficientem solutionem meæ difficultatis .

Discipulus Lullianaæ Doctrinae. Attende ultra , & videbis , quod nondum vides : Numquid Pater cognoscit se in Filio , quia cognoscendo Filium cognoscit se , & cognoscendo Filium esse Filium suum , cognoscit se esse Patrem sui Filii ?

Amator Veritatis. Hoc concedo .

Discipulus Lullianaæ Doctrinae. Dic mihi nunc : si Pater non generaret Filium , essetne Pater ?

Amator Veritatis. Nullatenus , quia ipse non potest esse Pater , nisi per generare Filium .

Discipulus Lullianaæ Doctrinae. Bene : & , si Pater non generaret bonum Filium , essetne bonus Pater ?

Amator Veritatis. Non , quia , sicut generando Filium est Pater , sic generando bonum Filium est bonus Pater .

Discipulus Lullianaæ Doctrinae. Et , si Pater non generaret æternum Filium , essetne æternus Pater ?

Amat. Verit. Etiam non ; quia , sicut non potest esse Pater sine Filio , sic non potest esse æternus Pater sine æterno Filio .

Disci-

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Discurris optimè ;
& nondum vides , quomodo Pater bonificet se in
Filio , & perficiat se in Filio ?

Amator Veritatis. Incipio videre gaudio magno
valde ; sed tamen desidero , ut mihi hoc aliquan-
tulum tuo modo declares .

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Scito ergo , quòd
in Divina Trinitate Pater esset nihil sine Filio ; sicut
etiam Pater & Filius essent nihil sine Sancto Spi-
ritu ; & , quia omnes tres sunt , est quilibet eorum
infinitè perfectus sine ullo defectu ; & , si unus
eorum deficeret , deficerent omnes . Hoc debe-
rent intelligere omnes Theologi , & de facto intel-
ligerent , si esset , qui eos doceret in suis scholis ;
& , quia in eis hominem non habent , deberent
ipsum quærere extra . Sed ad casum scito , quòd
Pater Divinus sit à se , & Filius à Patre , & Sanctus
Spiritus à Patre & Filio ; & est Pater à se , quia à
se & de se generat Filium ; & , sicut Pater est à se
Pater , quia à se generat Filium , ita est à se bonus
Pater , quia à se generat bonum Filium , & est à se
æternus & immensus & omnino perfectus , quia à
se generat æternum & immensum & omnino per-
fectum Filium . Et ecce quomodo Pater gene-
rando Filium facit se Patrem (non accipias facere
in sensu stricto , in quo Filius est genitus , & non
factus , ut dicitur in Symbolo) & generando ipsum
bonum æternum immensum & omnino perfectum ,
facit se bonum æternum immensum & omnino
perfectum Patrem . Et , cùm Pater nihil aliud sit ,
quàm Pater bonus &c. se facit totum , quod est ,
generando Filium . Itaque , licet Pater non generet
se , nec producat se , nec bonificet se , sed solùm suum
Filium , tamen in Filio se bonificat , & se perficit
bonificando & perficiendo Filium . Vides ?

55. Amator Veritatis. Video, & gratias ago tibi & DEO, & satis est de hac materia. Transeamus ad aliud. Dic mihi: *Quomodo potest concludi, quod Sanctus Spiritus non procedat à solo Patre?*

Discipulus Lulliana Doctrina. Si consideres supradicta de Trinitate, poteris habere sufficientiam & abundantiam ad hoc concludendum. Tamen adverte ad sequentia: nonne Pater generat Filium de toto se ipso, & per totum se ipsum?

Amator Veritatis. Certum est, quod ita sit; quia non est pars Patris generans, nec est pars in Patre, de qua Pater generet Filium; cum Pater sit omnino simplex & indivisibilis.

Discipulus Lulliana Doctrina. Ergo Pater generat Filium omnino sibi aequaliter applicando ad ipsum totam suam actionem, vel actionem totius sui esse, & nihil reservando non applicatum.

Amator Veritatis. Totum hoc est mihi evidens; quia aliter non video, quomodo Pater possit esse pura actio omnino indivisibilis.

Discipulus Lulliana Doctrina. Ergo, ut Pater spiraret Sanctum Spiritum, deberet se applicare totum ad spirandum ipsum, sicut se applicat ad generandum Filium, vel deberet se applicare partialiter; cum non possit esse, neque intelligi, quod se applicet totum & totaliter duobus modis realiter distinctis.

Amator Veritatis. Concedo, quod deberet se applicare totaliter; quia video, quod non possit se applicare partialiter; & concedo etiam, quod haec applicatio esset omnino eodem modo, sicut est applicatio Patris ad generandum Filium; quia video non posse esse in Patre duos modos totales realiter distinctos.

Disci-

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Ergo Filius & Sanctus Spiritus haberent omnino unum & idem Principium, sine ulla distinctione ex parte ipsius Principii.

Amator Veritatis. Teneor concedere hanc consequentiam ; quia video esse legitimè deductam ex antecedentibus.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Et quomodo Filius & Sanctus Spiritus essent distincti, si non haberent ullam distinctionem ex parte Principii ? Discurre per omnia genera principiorum, & invenies hoc esse omnino impossibile & inintelligibile.

Amator Veritatis. Scio, quòd aliqui soleant dicere : quòd Sanctus Spiritus sit distinctus à Filio, & Filius à Sancto Spiritu per hoc quòd Filius procedat per Intellectum, & Sanctus Spiritus per Voluntatem, & secundùm hoc posset dici, quòd distinguerentur , licet ambo procederent à solo Patre.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Verum est, quòd hoc dicant inter vos, qui nescitis eos arguere ; tamen non potest dici rationabiliter, quia non potest esse realis distinctio principiorum sine reali distinctione principiorum ; cùm manifestum sit, quòd principiata debeat recipere suam distinctionem à principiis, à quibus recipiunt suum esse , & certum est, nullum Catholicum affirmare, quòd Pater producens Filium per Intellectum distinguitur realiter à se ipso producente Sanctum Spiritum per Voluntatem.

Amator Veritatis. Gaudeo gaudio magno valde de intelligentia, quam mihi nunc dedisti ; quia video, quòd per eam possit convinci error Græcorum affirmantium Sanctum Spiritum esse Per-

sonam realiter distinctam à Filio, & tamen procedentem à solo Patre.

Discipulus Lulliana Doctrina. Ut clariū videoas hanc Veritatem, attende: Pater generat de toto se ipso Filium sibi omnino æqualem, qui distinguitur à Patre per hoc præcisè, quod iple sit à Patre genitus, & per nihil aliud, quia posito hoc est posita totalis distinctio totius esse Filii, quod est totum genitum à toto esse Patris, à quo & de quo ipsum est totum genitum; & hæc distinctio est tanta, quod major non possit esse, neque intelligi. Et, si Sanctus Spiritus procederet à solo Patre, prædictæ distinctioni superadderetur alia, quia tunc Filius ultra distingueretur à Patre per hoc, quod ipse non spiraret Sanctum Spiritum, & Pater ipsum spiraret. Et hæc distinctio superaddita Filio non posset esse substantialis; cùm ipsam non haberet per Generationem passivam, sive per generari, sed per solam privationem Spirationis activæ. Hoc autem est omnino impossibile, scilicet, quod in Filio sit distinctio, quam non habeat per generari. Unde debes inferre, quod ultra generare Filiū Pater nihil possit facere, quod non faciat Filius simul cum ipso; & in hoc consistit perfecta Æqualitas Patris & Filii; quia, quantum Pater generat, tantum Filius generatur, & quantum Pater facit ultra generare, tantum facit Filius simul cum Patre; quæ perfecta Æqualitas non esset inter Patrem & Filium, si solus Pater spiraret Sanctum Spiritum; quia in hoc Pater excederet Filium; sicut non esset perfecta Æqualitas inter Patrem & Filium, si solus Pater aliquid aliud faceret, quod non faceret Filius, scilicet, si unam vel aliam creaturam crearet, quam non crearet Filius, vel ipsam plus crearet Pater, quam Filius.

Amator

Amator Veritatis. Gaudeo summopere lœtitia inenarrabili; quia per hæc tua dicta tantam lucem accepi, quod manifestè videam, esse totaliter impossibile Patrem & Filium non simul & æqualiter spirare Sanctum Spiritum; quia ex opposito se queretur manifesta inæqualitas inter Patrem & Filium, quæ est omnino impossibilis, cùm perfecta æqualitas sit inter ipsos omnino necessaria. Sed miror mirabilitate magna valde, quod hæc non videantur in nostris scholis; quia de facto sunt visibilia valde.

Discipulus Lulliana Doctrina. Si vestri Magistri essent Sapientes, exquirerent Sapientiam Antiquorum, ut fierent sapientiores, & contemnerent stultitiam modernorum, ne fierent stultiores; omnes enim legerunt in Libro Ecclesiastici, saltem quando dicunt officium Divinum de communi Doctorum, *Sapientiam antiquorum exquires Sapiens.* Vel labarent, ut bene instruerentur in libris Sanctorum Patrum, qui sine ullo dubio fuerunt valde sapientes, & relinquenter libros non Sanctorum Filiorum, de quibus dubitari debet, an sint sapientes, quia continentur in inutilibus speculationibus; quia tamen hoc non faciunt, vos estis adeo insipientes. Lege libros Sancti Augustini de Trinitate, & in eis manifestè invenies, quod Sanctus Spiritus non sit Filius, nec possit esse Filius; quia procedit à duobus, & in Æternitate non potest esse, neque intelligi Filius duorum; & nunquam invenies in prædictis libris, quod iste Sanctus & sapientissimus Doctor dicat, quod Sanctus Spiritus non sit Filius, quia procedit per Voluntatem, neque, quod Filius sit Filius, quia procedit per Intellectum, quamvis dicat, & valde bene, quod Filius procedat à Patre per modum Intelligentiæ, vel notitiæ

genitæ, & Sanctus Spiritus per modum mutui Amoris Patris & Filii.

56. *Amator Veritatis.* Satis est, transeamus ad aliud, quia, quamvis non omnia, saltem aliqua bene intelligo, quæ mihi sufficiunt ad meum intentum. Dic mihi: *Si Adam non peccasset, fuisse ne DEUS incarnatus?* Hoc interrogo, quia scio, quod aliqui putent, quod adhuc fuisse incarnatus, & audivi, quod Lullista hoc idem teneant; cum aliunde attentis illis, quæ dicunt Sancti Patres, sit mihi manifestum oppositum; quia in aliquibus expressæ legi DEUM esse incarnatum ad nostram redemtionem unicè.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. In hoc scire debes, quod Divina Incarnatio, de qua solent loqui Sancti Patres, sit Incarnatio, quæ facta est, & modo quo facta est; scilicet nascente DEO-Homine in hoc mundo in illa paupertate & nuditate, in qua natus est ad docendum nos contemptum vanitatum & divitiarum hujus mundi, & afflictionem carnis; & similiter vivente & operante ipso DEO-Homine modo, quo vixit, & operatus est ad docendum nos primò factis, & postea verbis viam Virtutum & fugam vitiorum; & tandem paciente & moriente ipso modo, quo passus & mortuus est, & descendendo ad inferos & resurgendo &c. Et certum est, quod, si Adam non peccasset, nihil horum factum fuisse, nec potuisse fieri; si enim nos homines non habuissimus vitia & ignorantias nobis provenientes à peccato originali, non potuisse rationabiliter DEUS ad docendum nos, & ad separandum nos à vitiis quidquam facere; nec per consequens fecisset hoc, quod fecit; quomodo enim concipi potest, quod DEUS venisset ad docendum nos, & ad sanandum nostras infirmitates,

tates, si nos non fuissetemus ignorantes & infirmi ? Et quomodo potuisset mori, si non fuisset, qui eum occidisset ? Nam, sine peccato manifestum est, quod nullus potuisset occidere DEUM - Hominem, nec potuisset eum vilipendere, & irridere & verberare, & crucifigere & similia. Loquendo igitur de Incarnatione & Adventu DEI in hunc mundum ordinato ad omnia ista, sicut de facto loquuntur sancti Patres, certum est, quod Adamo non peccante non fuisset talis Incarnatio. Et ecce, quomodo sancti Patres optimè & verissimè loquantur tenendo suos oculos mentis applicatos ad Incarnationem, quæ de facto facta est, & modo, quo facta est, sicut decet servos DEI, ut sint grati tanto beneficio. Si autem loquamur factâ suppositione, quod Adam non peccasset, & inquiremus, an tunc fuisset DEUS incarnatus non ad hunc finem passionis & mortis, sed ad aliquem alium, tunc dicendum est, quod de facto DEUS fuisset incarnatus ; sed valde aliter, & sicut fuisset decens statui, in quo mundus tunc fuisset. Ratio est, quia DEUS fuit incarnatus principaliter ad hoc, ut ipse factus Homo esset Caput universitatis mundi, & Finis omnium creaturarum ipsius, propter quem omnia essent creata. Et, si hoc de facto fuit in Incarnatione, quæ modo facta est, etiam fuisset factum tunc, quia tunc iste principalis finis adhuc permanisset. Quid dicas ad hæc ?

Amator Veritatis. Quantum ad primum quod dixisti de Incarnatione, quæ facta est, & modo, quo facta est, concedo totum ; quia video esse puram Veritatem ; sed quantum ad id de Incarnatione, quæ facta fuisset in alio statu, non concedo ; quia hoc indiget probatione ; sicut etiam id, in quo mihi videtur, quod velis fundare hanc tuam

tuam affirmationem, scilicet, quod DEUS sit incarnatus principaliter, ut fieret Caput universitatis mundi, & Finis omnium creaturarum.

57. Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Ergo putas, quod DEUS principaliter sit incarnatus propter nos, & propter nostram salutem, & non habuerit in sua Incarnatione ullum altiorem Finem?

Amator Veritatis. Ita est, hoc puto.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Ergo illa Humanitas, quam DEUS in se creavit, & sibi univit, & quam deificavit in Persona Filii, fuit à DEO creata propter finem inferiorem, & minus nobilem, quam nostra humanitas, quas DEUS creavit propter se ipsum, scilicet, ut ipse à nobis honoretur applicantibus nobis totam nostram virtutem memorativam ad ipsum memorandum, & totam nostram virtutem intellectivam ad ipsum intelligendum, & totam nostram virtutem amativam ad ipsum amandum.

Amator Veritatis. Non audeo concedere hanc consequentiam, & tamen video ipsam esse legitimè deductam ex antecedentibus; quare ingenuè fateor, me esse confusum, & illaqueatum; & rogo te, ut mihi dicas ingenuè, quid in hac re sentendum sit conformiter ad rei veritatem.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Nondum est hora, quia adhuc volo, quod prius videas, quam irrationalis esset tuus conceptus. Dic mihi: nonne scis, quod res, quæ fiunt ab uno & eodem efficiente perfecto, sint nobiliores, quo propter nobiliorem finem ab ipso fiunt?

Amator Veritatis. Video ita debere esse; & ita esse, quia propter minus nobilem finem sufficit, quod fiunt res minus nobiles, & propter nobiliorum hoc non sufficeret, sed requiritur, quod fiunt

res

res multò nobiliores. Hoc patet in hoc, quòd si aliquis artifex facheret vestes, vel calceos, vel aliquam domum propter servos alicujus nobilissimi Regis, sufficeret, quòd facheret istas res alicujus parvæ nobilitatis; si autem facheret unam vestem, vel calceos, vel domum propter ipsum nobilissimum Regem, qui per se & immediatè deberet uti eis, non sufficeret, quòd facheret prædictas res æqualis nobilitatis, sed deberet ipsas multò nobiliores facere.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Gaudeo, quòd ita bene percipias Veritatem. Dic mihi nunc: putásne, quòd Humanitas, quam DEUS creavit pro se ipso, & sibi univit, sit deterior & vilior, vel minùs nobilis, quam nostræ humanitates?

Amator Veritatis. Nequaquam possum hoc putare; imò puto, quòd sit valde præstantior & valde nobilior.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Si ergo ita est, DEUS propter nos creavit valde nobiliorem, & præstantiorem humanitatem, & propter se creavit deteriores & minùs nobiles. Putásne hoc esse rationabile?

Amator Veritatis. Verè puto non esse rationabile; imò esse irrationabile.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Attende ultra: nonne scis, quòd propter suum Filium Hominem creaverit DEUS nobilissimam & perfectissimam creaturam, scilicet Beatissimam Virginem Mariam, quam fecit adeo excellentem, quia creavit eam propter suum Filium Hominem, & ut esset Mater ipsius?

Amator Veritatis. Hoc etiam credo, & confiteor, & quodammodo intellec[t]ualiter video ita esse.

Discipulus Lulliana Doctrinae. Dic iterum : putas, quòd Beata Virgo Maria sit nobilior, & excellenter suo Filio DÉO - Homine ?

Amator Veritatis. Nullatenus, imò puto DEUM - Hominem esse valde nobiliorem & excellentiorem ipsâ.

Discipulus Lulliana Doctrinae. Optimè putas, & non deciperis ; quia ita est. Sed attende nunc : si DEUS propter DEUM - Hominem fecit nobilissimam creaturam, & propter nos homines fecisset valde nobiliorem, scilicet suum Filium - Hominem, quomodo operatus esset rationabiliter ? Si tu scires, quòd omnes res sint subditæ fini, propter quem sunt creatæ, & quòd finis sit dominus omnium rerum, quæ p opter ipsum creatæ sunt, non habuisses tales cogitationes, quales habuisti ; quia timuisses offendere DEUM dicendo ea, ex quibus legitimè sequitur, quòd nos sumus domini DEI - Hominis, & DEUS - Homo sit noster servus ; quia nisi ita sit, ipse non est Homo propter nos tanquam propter finem ; imò, si ipse est Dominus noster, sicut de facto est, & nos sumus sui servi, nos sumus propter ipsum, & non ipse propter nos.

Amator Veritatis. Dic mihi pro amore DEI : quid in re sit, & extrahe me à mea ignorantia, quam confiteor esse magnam valde saltem in rebus magnæ importantiæ, inter quas puto esse maximam istam, quam habemus præ manibus.

Discipulus Lulliana Doctrinae. Scias igitur, quòd DEUS se fecerit Hominem propter se principaliter, & fecerit omnia alia propter DEUM - Hominem ; & propterea solus DEUS est finis DEI - Hominis, & Dominus ipsius ; & DEUS - Homo est finis omnium aliarum rerum, & Dominus earum sicut

mani-

manifestè indicat Apostolus 1. ad Corinth. C. 3. v. 22. dicens: *Sive præsentia sive futura omnia vestra sunt: Vos autem Christi, Christus autem DEI.* Et scias, quòd judicare aliter esse, sit judicare maximum disordinationem in Intentione DEI Ordinatoris omnium rerum. Et, si scires veram Philosophiam, hoc non ignorares, quia videres in creaturis ordinationem optimam consistentem pro magna partè in hoc, quòd minus nobiles sint propter magis nobiles, & magis nobiles sint finis illarum; &, quia sunt finis, sunt etiam dominæ, & illæ sunt subditæ; & videres, quòd omnes creature inferiores sint ordinatae ad superiores à gradu infimo usque ad supremum, & omnes simul mirabiliter sint ordinatae ad DEUM, qui solus est ultimus finis omnium earum: & videres cum adjutorio Theologiæ; quòd, licet creature aliæ sint propter alias tanquam propter suum finem immediatum, tamen hoc est, ut cum isto fine, & per istum finem ultra progrediantur ascendendo, quoisque omnes simul mediately vel immediate sint propter Humanitatem DEI-Hominis, ut simul cum ipsa sint propter Deitatem ipsius. Quomodo percipis ista?

Amator Veritatis. Percipio esse valde rationabilia, sed tamen non intelligo, quomodo hoc sit. Percipio esse rationabilia; quia video, quòd vera aliquis Dominus habens aliquam vineam quandoque laboret ad excolendum ipsam, & conducat operarios ad laborandum in culturâ ipsius, & relinquat quandoque suam domum, & suam quietem ad visitandum, & videndum vineam, & omnia ista possit dicere, quòd faciat propter vineam, & ut ipsa bene fructificeret; & tamen finis omnium istorum sit ipse Dominus,

qui

qui per ista querit suam utilitatem. Non video tamen, quomodo sit aliquid simile in Divina Incarnatione, ideoque rogo te, ut cum aliqua explanatione me juves ad hoc videndum.

Discipulus Lullianæ Doctrinae. Non scio, an possum sufficere; attende tamen: DEUS est ens summè bonum, & ratione suæ summæ Bonitatis habet naturalem inclinationem ad faciendum bonum; quia sua summa Bonitas hoc petit in tantum, quod, si DEUS non ficeret bonum, quod sua Bonitas petit, ipsa non esset contenta, & quietata; quia non haberet id, quod petit extra se. Itaque, cum DEUS ratione suæ summæ & infinitæ Bonitatis producat bonum summum, & infinitum intra se, Patre generante Filium, & Patre & Filio spirantibus Sanctum Spiritum, & per hoc sua Bonitas sit totaliter contentata, & quietata, & gloria de hoc bono, quod DEUS producit intra se; & sua Bonitas ultra desideret, quod DEUS producat summum bonum extra se, si non infinitum, quia hoc est impossibile, saltem finitum, & in tanta altitudine elevatum, quod non sit possibile majus; ideo DEUS vult producere extra se istud bonum; ut sua Bonitas sit totaliter contentata, & quietata, & gloria de hoc bono, quod DEUS producit extra se; & ut ipse DEUS satisfaciat petitioni suæ Bonitatis, & inclinationi, quam habet ratione ipsius. Istud bonum summum extra DEUM, & prope infinitum est Sanctissima Humanitas, quam DEUS assumpsit, & univit sibi, & in qua sunt omnes thesauri Sapientiae & Scientiae DEI, & quæ est excellentior Angelis facta, & nobilior omnibus creaturis plus, quam dici & credi possit. Et, ut istud summum bonum propinquissimum DEO, quantum est possibile, esset in

in majori altitudine nobilitatis & excellentiae, voluit DEUS ei creare multos subditos excellentes & valde nobiles, quales sunt omnes cœlestes Spiritus, & omnes homines & omnes creaturæ, & voluit ei tradere, & dare universum mundum, & omnia creata, & constituere ipsum Dominum absolutum & absolutissimum, & soli sibi subditum. Et hoc modo creavit DEUS hanc sanctissimam Humanitatem propter se ipsum immediate, scilicet ut ipse DEUS haberet extra se ipsum istum summè bonum effectum, & ipse esset summè bona Causa producendo ipsum, & creavit propter istum summè bonum effectum totum residuum omnium creaturarum, ut ipsum ad altiorem gradum eleveret dando ei dominium super omnia. Et faciendo omnia supradicta, est Bonitas DEI totaliter satiata, & est DEUS in isto summè bono effectu suo, quem summè diligit, & in quo sibi summè complacet, totaliter gloriosus & contentatus; quod quidem non esset, si DEUS hunc summè bonum effectum extra se non haberet; quia sua Bonitas semper appeteret, quòd DEUS plus boni faceret, & tamen nunquam posset consequi in quibuscumque aliis rebus suam quietem, & satisfactionem sui appetitus, licet DEUS semper in infinitum plura & plura bona faceret.

58. *Amator Veritatis.* Video ista esse rationabilia valde, & pro me sufficiunt ad credendum, & aliquantulum intelligendum, quòd DEUS sit incarnatus propter se ipsum, & quòd Humanitatem Deificatam constituerit caput omnium creaturarum, & fecerit eam Dominam omnium ipsarum dando ei dominium super omnia, quæ sunt extra DEUM; & consequenter, quòd omnia creata sint propter ipsam, & ipsa propter DEUM. Sed ta-

men nondum video, quomodo verum sit, quod DEUS incarnatus propter nos homines & propter nostram salutem descenderit de cœlis; cum tamen ipse expressè dicat in Evangelio: *Ego veni in mundum: & non ascendit in cœlum, nisi qui descendit: & in Symbolo dicatur: qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cœlis.*

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Attende, & vide, an possis intelligere, quomodo ista sint vera: scisne, quod DEUS sit aeternus, & extra omne tempus, & per consequens, quod suum esse & suum operari non solum ad intra, sed etiam ad extra sit extra & ante omne tempus?

Amator Veritatis. De esse DEI, & de suo operari ad intra hoc scio; sed de operari DEI ad extra, hoc non scio, imò dubito multum, quod istud possit esse aeternum, cum istud de necessitate debat presupponere operari ad intra.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Ergo consideras ex parte DEI prius & posterius; cum ex parte ipsius sit procul dubio operari ad intra, & operari ad extra, & per consequens consideras ex parte DEI tempus, cum prius & posterius non possint esse, neque intelligi, quin unum sit ante, & aliud post, & quin, quando unum est, & aliud nondum est, unum sit præsens, & aliud futurum, quod est proprium temporis? Responde.

Amator Veritatis. Non scio re vera, quid possum ad ista respondere; quia mihi videntur esse vera & indubitabilia.

59. *Discipulus Lullianæ Doctrinæ.* Responde ergo ad istud aliud: *Nonne tempus est creatura, & effectus DEI à DEO productus?*

Amator Veritatis. Effectus DEI est, & creatura à DEO producta sine dubio;

Disci-

Discipulus Lullianæ Doctrina. Estne creatura producta à DEO per operationem ad *intrà*, an verò per operationem ad *extra*?

Amator Veritatis. Per operationem ad *extra* est tempus à DEO productum procul dubio.

Discipulus Lullianæ Doctrina. Ergo DEUS producens ad *extra* præcedit tempus, cùm omnis causa præcedat effectum.

Amator Veritatis. Non possum hoc negare; quia verum est.

Discipulus Lullianæ Doctrina. Sed omne, quod præcedit tempus, est æternum, cùm ante tempus nihil sit temporale: ergo DEUS producens ad *extra*, & sua operatio, quam habet in ordine ad effectum ad *extra*, est æterna, & per consequens est DEUS æternus, non solum quoad suum *esse*, & quoad suum operari ad *intrà*, sed etiam quoad suum operari ad *extra*.

Amator Veritatis. Ratio me concludit, & tamen consuetudo me detinet in tantum, quod non audeam hoc concedere.

Discipulus Lullianæ Doctrina. Si non essem male assuetus in loquendo, & considerando de DEO ad modum creaturarum successivarum, non tibi hoc accideret, nec essem detentus in millenis dubiis, de quibus non poteris te extricare, quo usque consideres, & scias, quod DEUS habeat suum modum valde altiore, & nobiliorem omni modo creaturarum; quare semper male concipiatur, si concipiatur ad modum ipsarum. Et scias, quod, quidquid se habet ex parte DEI, sit æternum sine ulla novitate, cùm DEO repugnet omnis novitas ratione suæ Äternitatis, per quam ipse, & omnia, quæ sunt in ipso, sunt æterna; quia aliter in DEO esset mutatio adquisitiva, per quam adquireret id,

quod antea non habebat; & hæc argueret in DEO defectum; cùm manifestum sit, quòd, quidquid adquiritur, deficiat adquirenti, ante quām ipsum adquirat.

60. Amator Veritatis. Sum totaliter convictus; sed tamen habeo in hoc magnam difficultatem; quia ex hoc sequitur, quòd *creatio*, & *justificatio*, & *glorificatio*, & *omnis alia operatio DEI* sit *æterna*, & non possum concipere, quomodo hoc possit esse.

Discipulus Lulliana Doctrinae. Si non potes concipere hoc, quod est verum, & per consequens est intelligibile, multò minus potes concipere, quod est falsum, & per consequens inintelligibile. Nonne scis, quòd, quidquid est in DEO, est DEUS; ut tu ipse jam supra concessisti allegando Seraphicum Doctorem Sanctum Bonaventuram, & sicut ego confirmavi allegando Sanctum Augustinum, & simul ostendendo rationem? Et, si quidquid est in DEO, est DEUS, manifestum est, quòd, quidquid est in DEO, sit *æternum*. Et, si quidquid est in DEO, est *æternum*, operatio DEI, quæ est *creatio*, & *justificatio*, & *glorificatio*, & quidquid aliud sit, sit *æterna*, & *æternaliter antecedens* quemlibet effectum DEI.

Amator Veritatis. Non possum contradicere, & tamen non possum percipere, quomodo *creatio* sit *æterna*; nec aliqua alia operatio DEI ad extra; quia non possum concipere, quòd DEUS sit *æternaliter creans*, & *creatura non sit æternaliter creata*; nec quòd DEUS sit aliquid *æternaliter operans*, & hoc non sit *æternaliter operatum*.

Discipulus Lulliana Doctrinae. Quòd hoc non possis percipere, provenit à consuetudine, quam habes cogitandi, & discurrendi de DEO ad modum creaturarum; & etiam provenit ex hoc, quòd

æqui-

æquivocetis multoties creationem passivam, quæ est effectus DEI non æternus, sed temporalis, cum creatione activâ, quæ est actio DEI non temporalis, sed æterna; quia aliter DEUS non per se crearet, nec per se justificaret, & glorificaret, nec per se quidquam aliud faceret extra se; sed per actionem creatam, quam ipse debuisset creare per aliam actionem, & istam per aliam usque in infinitum, vel deveniremus ad actionem increata, per quam creasset actionem creatam; & hæc actio increata est operatio DEI, per quam DEUS creat, & facit omnia. Itaque scire debes, quòd actio se habeat ex parte causæ, sicut passio se habet ex parte effectus; & actio sequatur modum causæ, sicut passio sequitur modum effectus; & per consequens, quòd causa causet suo modo, & non modo effectus: unde, si causa est æterna, & nullatenus temporalis, causat æternaliter, & nullatenus temporaliter; &, si effectus est temporalis, & non æternus, efficitur & causatur temporaliter, & non æternaliter. Et, quia non scientes bene distinguere, confundunt ista, &, si effectus est temporalis & temporaliter causatus, solent dicere, quòd causa ipsum temporaliter causaverit; quod quidem in bono sensu, & non intelligendo ullam temporalitatem ex parte causæ æternæ potest bene dici, quia per hoc solum significatur, quòd causa æterna ipsum causaverit temporalem, vel fecerit, quòd ipse sit causatus temporaliter; propterea habetis consuetudinem dicendi, & putandi, quòd DEUS temporaliter creet, justificet, glorificet, & faciat omnia, quæ extra se facit. Si non scis adhuc intelligere ista, ego non scio, quomodo possim te juvare, nisi multiplicando explicationes & exemplificationes; quod quidem est mihi valde

molestem: Audi tamen istud exemplum, & si non sufficit tibi, debebis habere patientiam. Quia Homo est vivus & rationalis, vitaliter & rationaliter operatur, quando construit aliquod artefactum ex lignis mortuis, & non rationalibus; & postquam istud artefactum est constructum, potest verè dici, quòd artifex vitaliter & rationaliter ipsum construxerit; non tamen potest verè dici, quòd ipsum sit vitaliter & rationaliter constructum. Dicentur tamen, significando per hoc vitalitatem & rationalitatem ex parte artificis conseruentis, non verò significando eam ex parte artefacti. Per oppositum discurre de effectibus DEI, qui sunt temporaliter creati: si dicatur quòd DEUS sit temporaliter creans.

Amator Veritatis. Sum contentus quantum ad hoc, quia sufficienter video, quòd DEUS aeternaliter quoad se faciat omnia, quæ facit, licet nihil sit aeternaliter factum, sed solum temporaliter.

Discipulus Lulliana Doctrinae. Si ergo DEUS aeternaliter quoad se facit omnia, non facit unum prius, & aliud posterius; sed facit omnia simul quoad se ipsum, licet ea, quæ sunt facta à DEO, non sint facta omnia simul quoad se ipsa, sed sint facta successivè alia post alia.

61. *Amator Veritatis.* Gaudeo gaudio magno valde de hac specie seu intelligentia, quam mihi nunc dedisti; quia per eam intelligo duo, quæ videbantur mihi contradictoria in Sacra Scriptura, scilicet quòd DEUS creaverit omnia simul, ut dicitur Ecclesiastici Cap. 18. v. 1. Et quòd creata sunt sex dierum spatio & variatione ea, quæ creavit DEUS in principio mundi, ut dicitur in Libro Genesis Capite 1.

Dijei-

Discipulus Lulliana Doctrinae. Igitur secundum hoc omnes creaturas, & illud summum bonum extra DEUM, fecit DEUS simul quoad se, & non unum post aliud. Dic mihi nunc ex his, quæ DEUS fecit, est aliquid, quod fuerit prius in mente Divina, & aliquid, quod fuerit posteriorius?

Amator Veritatis. Nullatenus possum concipere, quod in mente Divina fuerit aliquid prius, & aliquid posteriorius; quia ratione perfectæ Scientiæ DEI, in qua nulla ignorantia est, nec esse potest, est necessarium, quod in mente Divina fuerint simul & xternaliter omnia.

62. *Discipulus Lulliana Doctrinae.* Bene dicas, quantum ad hoc; sed ego interrogo: an aliquid fuerit in mente Divina prius prioritate principalitatis, & taliter, quod DEUS cognoverit, & voluerit primò & principaliter aliquid ex his, quæ fecit?

Amator Veritatis. Confiteor, quod non bene intelligam tuum intentum, & ideo non sciam, quid respondere debeam.

Discipulus Lulliana Doctrinae. Clarius loquar: fuitne aliquid in mente Divina, quod DEUS voluerit tanquam Finis, & aliquid, quod voluerit tanquam Principium & Medium ordinatum ad istum Finem?

Amator Veritatis. Hoc intelligo, & ad hoc respondeo affirmative; quia DEUS voluit, & cognovit tanquam Finem omnium creaturarum illud summum bonum, quod produxit extra se, & cui dedit dominium super omnia alia bona creata, scilicet Humanitatem, quam univit unigenito Filio suo, & omnia alia voluit tanquam Principia & Media ordinata ad istum Finem.

Discipulus Lulliana Doctrinae. Nunc mihi places; quia optimè intelligis, & optimè loqueris. Cum

igitur omne agens primò & principaliter intendat, & velit, & habeat in mente finem, propter quem vult, & ordinat omnia, quæ ad ipsum finem se habent; quia vult finem propter se, & quæ ordinat ad finem, vult propter ipsum finem, sequitur, quòd DEUS primò & principaliter habuerit in sua mente, & cognoverit, & voluerit summum bonum creatum, licet omnia bona simul agnoverit ratione suæ perfectæ Scientiæ. Et sequitur, quòd istud summum bonum creatum semper fuerit præsens DEO tanquam principale volitum ab ipso. Igitur, cùm istud summum bonum, ut esset tale, quale DEUS ratione suæ summa Bonitatis intendebat, deberet esse omnino perfectum, & justum in omnibus suis operationibus, & ad hoc requireatur, quòd omnia faceret sub directione DEI, & Justitiæ, ideo pertinebat ad DEUM dirigere ipsum ad perfectas & justissimas operationes; ne, si esset defectus, redundaret in ipsum DEUM. Intelligis?

Amator Veritatis. Intelligo & percipio ista esse verissima.

Discipulus Lulliana Doctrine. Igitur, cùm istud summum bonum esset in oculis DEI exaltatum æternaliter, & esset in se exaltandum temporaliter ad summum gradum honoris, ad quem erat possibile exaltari, & justitia requirat gratitudinem & omnem retributionem possibilem, si non sit possibilis retributio ad æqualitatem, istud summum bonum debebat dirigi à DEO ad hanc gratitudinem & retributionem. Cùmque hæc gratitudo & retributio non esset in isto summo bono, nisi videndo se exaltatum à DEO super omnia vellet se humiliare propter DEUM sub omnibus, & procurare honorem DEI per se, & per suos subditos omni modo possibili (quia nisi hoc faceret, cùm posset,

posset, jam non esset perfectè gratus & justus) sequitur, quòd ad omnia ista deberet à DEO dirigi jam à principio sui esse. Estne hoc rationabile?

Amator Veritatis. Rationabile est, imò & rationabilissimum in tantum, quòd, meo judicio, nihil rationabilius unquam audiverim.

Discipulus Lulliana Doctrinae. Attende ergo nunc, & videbis, quomodo istud summum bonum descenderit de cœlis propter nos, & propter nostram salutem missum à DEO in mundum. Istud summum bonum, si nullum fuisset peccatum, nec per consequens mundus fuisset disordinatus per ignorantias & vitia, quæ sunt consequentiae peccati, non potuisset honorare DEUM descendendo ad humilitatem, ad quam descendit nascendo in pauperrimo loco, & in illa nuditate, & frigore, & inclemencie temporis, in quibus natus est; nec potuisset honorare DEUM sustinendo ea, quæ sustinuit ad docendum viam virtutum factis & verbis, & contemptum honorum, & vanitatum hujus mundi; nec potuisset sustinere mortem sibi illatam à suis subditis; cùm sit manifestè impossibile, quòd sine vitiis & ignorantias aliquid horum potuisset esse. Et, supposito peccato, & disordinatione mundi secutâ per vitia & ignorantias, potuit se humiliare ad omnia ista; & similiter potuit vivendo inter nos, & docendo factis & verbis Veritatem & Justitiam, & ordinando & instituendo unam universalem Ecclesiam cum Sacramentis, & gratiis, quas ipsi Ecclesiæ promeruit, potuit honorare DEUM per se & per suos subditos disponendo, quòd omnes non obstante disordinatione mundi possent faciliter fieri sancti, & virtuosi, & honoratores ipsius DEI; quod quidem facere non potuisset stante mundo in illa

bona ordinatione, in qua DEUS ipsum creavit.
Vidésne esse ita?

Amator Veritatis. Ita esse video cum stupore,
& gaudio inenarrabili.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Si igitur stante mundo disordinato, potuit istud summum bonum ita reficere & ordinare mundum, & ita se humiliare, & ita procurare honorem DEI; & aliunde ad retribuendum DEO, & ad gratitudinem exercendam debebat hoc facere, & ad hoc faciendum debebat à DEO dirigi, ne ingratitudo redundaret in DEUM, sequitur, quod ad omnia ista debebat istud summum bonum à DEO destinari & mitti. Et, cum aliunde istud summum bonum, si hæc non fuisset operatus, non debuisset venire ad nos, nec vivere inter nos hic in terra, quia iste non erat suus proprius locus, sed alias valde altior & excellentior, ut manifestè loquitur in Evangelio dicens: *Ego non sum de hoc mundo*, & plura similia, manifestè videtur, quod fuerit à DEO missum in hunc mundum ad salvandum ipsum, & consequenter, quod propter nos homines, & proptes nostram salutem descenderit, & venerit ad Incarnationem & ad omnia alia, quæ operatus est personaliter in hoc mundo; non tamen propter nos, & propter nostram salutem habendo in nobis & in nostra salute suum principalem & ultimum finem, sed habendo in hoc alium valde altiorem Finem, scilicet exercere gratitudinem, & honorare DEUM per se, quantum potuit, & facere quantum poterat ad obligandum nos ad honorandum ipsum DEUM, & per consequens procurando in omnibus suis factis, & in omnibus suis verbis, quod DEUS ab omnibus honoraretur & glorificaretur. Et sic potuit & potest dicere: *quid ultra debui*

debui facere vineæ meæ, & non feci? & ego gloriam meam non quero; & multa similia, quæ potuit dicere, & dixit in Veritate; quia, si DEUS procuraverat ei tantum honorem, quantum potuit constituendo eum hæredem universorum, & tradendo ei omnia, Gratitudo & Justitia exigebat, quod ipse procuraret DEO tantum honorem, quantum ei procurare potuit. Itaque vides, quomodo Incarnatio DEI, quæ facta est, & modo quo facta est hic in terra, non fuisset facta; si Adam non peccasset, & consequenter, quod fuerit facta propter nos eo modo, quo ille Dominus vineæ, de quo supra locuti sumus, propter vineam labarat per se, & per alios operarios, quin habeat suum ultimum finem in vinea, neque in fructibus ipsius, sed in se ipso, qui vult frui fructibus vineæ, vel in aliqua alia re, quam amat plusquam se; quia semper finis ultimus omnis operantis est ipse operans, vel aliud, quod amat plus, quam se. Si hæc consideres, & mediteris, assistro tibi, quod tantam lucem inde extrahes, quod clare poteris videre intellectualiter, omnia, quæ Catholica fides docet de DEO incarnato, & de operibus ipsius, & de Ecclesia, & de Infallibilitate Capitis ipsius, & similia, esse omnia vera & verissima, quin ex hoc sequatur ullum inconveniens, & ex opposito sequentur multa & innumerabilia, quæ in fine finali essent attribuenda DEO.

63. Amator Veritatis. Dic mihi: Cùm DEUS sit Suppositum & homo sit Suppositum, & Christus sit DEUS & Homo, quomodo Christus non est duo supposita? In hoc habeo magnam difficultatem.

Discipulus Lullianæ Doctrinae. Si DEUS assumpsisset hominem, quem ipse extra se fecisset, & DEUS esset ille homo, certum est, quod con-

junctum

junctum ex illis duobus esset duo Supposita; sed, quia DEUS non assumpsit Hominem, quem fecerit extra se, nec per consequens assumpsit Suppositum, sed assumpsit Humanitatem, cum qua ipse, qui jam erat Suppositum, se fecit Hominem, faciendo ipsam existere in se ipso, & per se ipsum, propterea se fecit Hominem, & non se fecit Suppositum, & faciendo se hominem fecit, quod ipse, qui erat Suppositum Divinum, esset simul Suppositum humanum.

Amator Veritatis. Hoc non bene capio, & ideo vellem, ut mihi dares aliquam aliam declaracionem, per quam possem hoc clarè videre.

Discipulus Lulliana Doctrinae. Attende: Rex Romanorum, & Pontifex, & quilibet Sacerdos, est homo, & ideo, qui de nihilo vel de non homine faceret Regem Romanorum, vel Pontificem, vel aliquem Sacerdotem, certum est, quod faceret hominem; sed qui hominem jam factum sive jam existentem faceret Regem, vel Pontificem, vel Sacerdotem, faceret quidem Regem vel Pontificem vel Sacerdotem, qui esset homo, non tamen faceret ipsum hominem. Intelligis?

Amator Veritatis. Intelligo, & video clarè ita esse.

Discipulus Lulliana Doctrinae. Discurre igitur similiter de DEO in ordine ad Hominem, & videbis, quod, si DEUS faciat Hominem de nihilo, vel de non homine, & faciat eum per se existentem extra ipsum DEUM, faciat quidem Suppositum; sed, si DEUS faciat se Hominem, & faciat humanitatem existere in se ipso, & per se ipsum, & non in se ipsa, & per se ipsam, facit se Hominem non faciendo Suppositum; quia, ut faceret Suppositum, requireretur, quod faceret aliquid aliud à se hominem, & non sufficit, quod faciat se ipsum Hominem.

64. *Amator Veritatis.* Nunc video clarè, quod non videbam, nec unquam videre potueram nec in scriptis nec in dictis aliorum. Dic mihi iterum : *Estne Christus impeccabilis ab intrinseco, an verò solum ab extrinseco?*

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Si dicatur, quod Christus sit impeccabilis ab extrinseco tantum, significatur, quod ipse quoad se potest peccare, & ratione exterioris manutentia sua Potestas impeditur, ne possit devenire ad actum peccati ; &, si ista exterior manutentia cessaret, posset devenire ad actum peccati. *Estne ita?*

Amator Veritatis. Ita est, quia per hoc distinguimus impeccabilitatem ab extrinseco ab impeccabilitate ab intrinseco.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Dic mihi nunc : nonne requiritur ad peccatum, quod id, quod regit & mandat in homine, consentiat ad peccatum ?

Amator Veritatis. Ita est, & propterea sine consensu potentia rationalis, quæ regit & mandat in homine, nullus homo potest peccare ; quia sine tali consensu nulla res potest esse peccatum.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Ergo, ut Christus peccaret, requireretur, quod id, quod in eo mandat, consentiret peccato.

Amator Veritatis. Ita est sine dubio.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Et quid est, quod in Christo jubet & mandat ? Nonne hoc est Divinum Suppositum, quod se habet respectu humanae naturæ tanquam primum movens, & primum mandans, & sub cuius motione & mandato ipsa humana natura, & omnes suæ potentia faciunt, quidquid faciunt ?

Amator Verit. Confiteor, quod hoc non bene sciam, & ideo rogo te, ut mihi dicas, quid dicendum sit.

Discip

Discipulus Lulliana Doctrina. Scire debes, quòd, sicut humana natura in Christo Domino non per se subsistit, quia aliàs esset Suppositum, sed subsistit per Divinum Suppositum, & in Divino Supposito, ita non per se operatur quidquam, sed operatur tantùm per Divinum Suppositum ; & propterea omnes operationes Christi verè & optimè dicuntur operationes Divinæ, quia tales sunt principaliiter, eò quòd principaliter proveniant à Divino Supposito. Ideoque primum & principale operans in omnibus operationibus Christi, sive sint internæ, sive externæ, est Divinum Suppositum, sub cuius motione & mandato fiunt : unde sequitur, quòd, nisi Divinum Suppositum possit peccare, Christus non possit peccare. Hoc sufficit tibi pro solutione, si bene intellexisti.

65. *Amator Veritatis.* Dic mihi : *Si DEUS, ut haberet extra se summè bonum effectum, & ut habendo ipsum esset summè bona causa, voluit assumere naturam humanam, & facere se Hominem, nonne sequitur ex hoc, quòd natura humana sit nobilior & excellentior naturā Angelicā ?* Si enim hoc non sequitur, sequeretur, quòd, si assumpsisset naturam Angelicam, haberet extra se effectum meliorem ; &, si ita est, sequitur, quòd assumendo humanam naturam non habeat summè bonum effectum ; cùm non habeat effectum ita bonum, sicut haberet, si assumpsisset naturam Angelicam. Quid dicendum ad hoc ?

Discipulus Lulliana Doctrina. Benè discurris, quia unum vel aliud sequitur. Scias igitur, quòd humana natura, quam DEUS assumpsit, sit valde nobilior & excellentior naturā Angelicā ; & quòd, si non esset talis, DEUS non fecisset bonam electionem faciendo se Hominem cum natura humana assumpta,

assumpta, ut fieret Caput totius universitatis creaturorum, non solum inferiorum, sed etiam superiorum & supremarum; cum manifestum sit, quod caput rationabiliter procedendo debeat esse nobilior, & excellentius membrum in universo corpore.

Amator Veritatis. Ego jam credo omnia ista, & credo, quod Humanitas assumpta a DEO sit nobilior & excellentior universis creaturis; sed puto, quod hoc fuerit per gratiam & per participationem donorum supernaturalium, non vero per naturales perfectiones, quas DEUS in ea creaverit.

Discipulus Lulliana Doctrinae. In quo fundas hanc tuam credulitatem?

Amator Veritatis. In hoc, quod semper conceperim, & viderim alios similiter concipere, naturam humanam esse inferiorem naturam Angelicam. Et quod ipsa adhuc in Christo sit talis, manifeste indicat Psalmista dicens: loquendo de DEO - Homine secundum Sanctos Patres: *Minuisti eum paulo minus ab Angelis*, quod non potest intelligi quantum ad Deitatem, sed solum quantum ad Humanitatem, nec quantum ad istam quoad dona gratiarum & supernaturalia, sed solum quoad naturalia.

66. *Discipulus Lulliana Doctrinae.* Si videres, quam miserabiliter discurrat, quicunque non habet verum fundamentum Scientiarum, supra modum mirareris. Tu putas, quod omnes humanae naturae sint equalis nobilitatis & excellentiae; & ego volo, ut mihi dicas, in quo te fundas. Dic?

Amator Veritatis. Me fundo in hoc, quod omnes sint eiusdem speciei.

Discipulus Lulliana Doctrinae. Et quomodo scis, quod omnes humanae naturae sint eiusdem speciei? An non scis, quod animae rationale, quae sunt id, quod

quod est principalius in humana natura, creentur à DEO de nihilo?

Amator Veritatis. Hoc scio, vel saltem firmiter credo, & puto esse de Fide.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Et quomodo putas, animas rationales esse omnes ejusdem speciei; cùm vos teneatis, Angelos omnes esse distinctæ speciei ad invicem per hoc, quòd creentur à DEO de nihilo; & per consequens non habeant communem materiam, à qua, dicitis, desumitur unitas specifica? Si in hoc bene dicitis, consequenter discurrendo dicere debetis, animas omnes à DEO creatas de nihilo esse distinctæ speciei ad invicem. Vel audebitis dicere, quòd animæ, quando à DEO creantur, sint distinctæ speciei, & quando corporibus infunduntur, perdant distinctionem specificam, & adquirant identitatem? Non puto, quòd audeatis hoc dicere; quia hoc esset significare, quòd non sciatis distinctionem specificam esse essentialē & imperdibilem, & unitatem specificam esse etiam essentialē & inadquisibilem. Si diceretis, quòd corpora hominum sint omnia ejusdem speciei, & per consequens etiam æqualia in nobilitate & perfectione saltem substantiali & essentiali, loqueremini aliquatenus consequenter; licet adhuc haberetis vestras difficultates ad salvandum diversitatem accidentalem sine substantiali; sed dicendo, quòd naturæ humanæ sint omnes ejusdem speciei, cùm principalis pars cuiuslibet sit anima rationalis de nihilo creata, nullatenus loquimini consequenter. Quid dicas ad ista?

Amator Veritatis. Confiteor me esse confusum, & nescire, quid debeam dicere.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Attende ultra: nonne scis, quòd corpora humana non sint omnia

nia ejusdem complexionis, sed aliqua sint ignea, aliqua aërea, aliqua aquea, & alia terrea à prædominio, vel clariùs loquendo, secundùm consuetudinem medicorum, quædam sint cholérica, quædam sanguinea, quædam phlegmatica, & alia melancholica?

Amator Veritatis. Hoc concedo, quia credo ita esse, & video sufficietes significationes hujus Veritatis demonstrativas.

Discipulus Lulliana Doctrina. Et nonne scis, quòd inter corpora ejusdem complexionis sint quædam in altiori gradu, & quædam in minus alto, & quædam in summo gradu, & quædam in infimo?

Amator Veritatis. Hoc etiam sufficienter scio, quia per experientiam comprobatur.

Discipulus Lulliana Doctrina. Dic mihi nunc: unde putas provenire in corporibus istam varietatem & differentiam adeo magnam?

Amator Veritatis. Puto provenire ex varietate accidentium.

Discipulus Lulliana Doctrina. Et unde hæc varietas accidentium? An non scis, quòd accidentia non sint per se entia, & per consequens sint per se nihil; sed solum sint per substantiam & in substantia id quod sunt?

Amator Veritatis. Ita hoc scio, quia hoc idem dicimus in nostris scholis.

Discipulus Lulliana Doctrina. Igitur, sicut accidentia non sunt per se, sed per substantiam, ita non sunt per se differentia, nec sunt per se existentia, nec sunt per se agentia, cùm omnia ista sint aliquid, & non sint nihil, sed sunt, quidquid sunt, per substantiam, & ratione ipsius.

Amat. Verit. Omnino nihil possum contradicere.

Discipulus Lulliana Doctrina. Igitur quòd sic

inter corpora humana tanta diversitas, & tanta distinctio accidentium, provenit à diversitate & distinctione substantiarum.

Amator Veritatis. Pro amore DEI oro te, ut me instruas in hoc puncto; quia jam video, quòd mei conceptus non bene processerint.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Scire debes, quòd diversitas complexionum in humanis corporibus proveniat à diversitate mixtionum & compositionum elementorum, de quibus sunt formata; ideoque illa corpora, in quibus est plus de igne, quàm de aliis elementis, sunt cholérica sive ignea; & illa, in quibus est plus de aëre, quàm de aliis elementis, sunt sanguinea sive aërea; & illa, in quibus est plus de aqua, sunt phlegmatica sive aquæ; & illa, in quibus est plus de terra, sunt melancholica, sive terrea; & omnes istæ complexiones habent plus & minus, & valde multam diversitatem graduum. Itaque omnes istæ diversitates proveniunt à diversitate substanciali elementorum, ex quibus oritur post substancialem diversitatem, vel simul cum ipsa omnis diversitas accidentium. Si igitur in humanis corporibus, quæ fiunt ex communi materia, scilicet ex elementis, est tanta diversitas substancialis in sola natura elementali, quæ est infima, quanta erit diversitas in ipsis in natura vegetali & in natura sensuali, & in imaginali, sive in omnibus simul? Et, si inter corpora humana facta de communi materia est magna diversitas substancialis, ratione cuius ipsa sunt substancialiter distincta ab invicem, quamvis ita sit, quòd ipsa juxta vos sint ejusdem speciei, quanta diversitas erit substancialis & essentialis inter animas rationales; cùm ita sit, quòd ipsæ secundùm vestrum modum discurrendi, non possint esse ejusdem speciei?

67. *Amator Veritatis.* Nos non concipimus diversitatem specificam inter animas, quia consideramus eas omnes esse memorativas, intellectivas, & amativas.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Si hoc ita est, quomodo consideratis diversitatem specificam inter Angelos; cùm ita sit, quòd ipsi omnes sint memorativi, intellectivi, & amativi? Non vides, quàm inconsequenter discurratis?

Amator Veritatis. Non me detineas ita suspensum, fac mihi gratiam prosequendi, quod jam incipisti, & ostende mihi, quomodo animæ rationales non sint æquales in donis naturalibus.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Attende: donum naturale in animabus dicitur virtus intellectiva, & virtus memorativa & virtus amativa, ut per se patet. Scito igitur, quòd virtus intellectiva animarum rationalium non sit æqualis in omnibus ipsis, imò in una earum est virtus utrum unum, in alia ut duo, in alia ut octo, in alia ut centum, & sic ascendendo usque ad animam Beatissimæ Virginis Mariæ, in qua est virtus intellectiva in tanta magnitudine, quòd excedat virtutem intellectivam omnium aliarum animarum non solum divisim, sed etiam conjunctim sumptarum; ita ut, si de omnibus animabus, exceptâ Animâ Christi, fieret una anima, in qua esset unita tota virtus intellectiva omnium, adhuc ista anima maneret valde inferior, & minor ipsâ in virtute intellectiva; &, si postea ascendamus ultra ad Animam Christi Domini, ipsa sola habet majorem virtutem intellectivam, quàm anima suæ Sanctissimæ Matris, & omnes aliae simul, & quàm omnes Chori Angelorum simul cum ipsis; & ita, si de virtute intellectiva omnium animarum & omnium Angelorum fieret una sola virtus intellectiva, ista esset

minor virtute intellectivā Animæ Christi. Quod dixi de virtute intellectiva, intellige de virtute amativa, & de virtute memorativa. Et, si hoc non esset ita, cùm DEUS potuerit ponere ordinem superioris & inferioris in animabus non solum quoad dona supernaturalia, sed etiam quoad naturalia, sicut posuit istum ordinem in Angelis, sequeretur, quòd vel talis ordo non esset bonus, vel quòd DEUS non amasset id, quod est bonum; & hoc utrumque est impossibile.

68. *Amator Veritatis.* Miror valde de isto modo discurrendi, quia mihi videtur valde rationabilis, & tamen ego & mei similes sumus totaliter extra ipsum. Videtur mihi valde rationabile, quòd animæ sint creatæ in ista inæqualitate, quia, si DEUS de facto non creavit animas, ut habeant æqualem gradum gloriæ in cœlesti Patria, certum est, quòd noluerit, quòd æqualiter memorent & intelligent & ament ipsum, cùm gloria consistat in hoc; &, si DEUS noluit, quòd æqualiter habeant istos actus, ad quem Finem deberet eis dare æqualem virtutem activam? Transeamus ad aliud. Dic mihi: *Quomodo probari potest, quòd animæ rationales sint immortales?*

Discipulus Lullianæ Doctrinae. Hoc faciliter probari potest attendendo ad Finem, quare DEUS eas creavit. Scisne quinam sit iste Finis?

Amator Veritatis. Istum Finem judico esse, ut cum corporibus constituant homines.

Discipulus Lullianæ Doctrinae. Verum est; sed tamen iste non est ultimus & principalis Finis, quem ego inquirō, an scias quinam sit.

Amator Veritatis. Jam dictum est, quòd DEUS finaliter omnia creaverit propter se ipsum; & ita secundūm hoc est dicendum, quòd animas rationales

nales creaverit DEUS propter se ipsum, scilicet ut ipsum cognoscant & ament.

Discipulus Lulliana Doctrinae. Nunc accedis ad Veritatem ; &, ut hoc breviter bene videas, attende, & vide, an judices me habere rationem. Quia DEUS propter suam infinitam Bonitatem & alias suas Perfectiones est honorabilis, dignum est, quòd ipse honoretur ; &, quia hoc dignum est, etiam justum est, quia justitia petit, quòd honorabile, sive dignum honorari, honoretur. Et, quia Voluntas DÉI est justa, vult id, quod justum est, & per consequens vult, quòd DEUS honoretur. Et, quia hoc est impossibile, nisi DEUS memoretur, cognoscatur, & ametur, vult, quòd DEUS memoretur, cognoscatur & ametur. Et, quia hoc vult, & hoc non potest esse, nisi DEUS creet creaturas memorativas, cognoscitives, & amatrices ipsius, propterea vult eas creare, & de facto eas creat : unde sequitur, quòd istas creaturas creet DEUS ad hoc, ut memorando, cognoscendo, & amando ipsum honorent. Et ecce, quomodo propter se ipsum creaverit DEUS animas rationales. Percipis ista esse sicut dico ?

Amator Veritatis. Ita esse percipio, quia ita esse video rationabile, & rationabilius, quàm aliter esse ; & ita, ne tenear concedere, DEUM non operari rationabilissimè tantùm & plùs, quàm nos concipere possimus, concedo absolutè omnia ista.

Discipulus Lulliana Doctrinae. Jam incipis discurre magis fundatè, & faciliùs intelligere. Nunc attende & dic: éstne DEUS dignus honorari temporaliter tantùm, scilicet centum vel mille vel decem mille annis, & non ultra ?

Amator Veritatis. Nequaquam, imò est dignus honorari in æternum & ultra, si ultra foret possibile.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Igitur DEUS vult honorari in æternum, & ad hoc fecit nostras animas.

Amator Veritatis. Est mihi evidens & totaliter innegabile.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Dic mihi ultra, si DEUS hoc vult, & ad hoc facit nostras animas, igitur, ut sapienter operetur, debet facere nostras animas in æternum honorativas sui ipsius. Et quomodo essent in æternum honorativæ DEI, si non essent in æternum durabiles, & per consequens immortales?

69. *Amator Veritatis.* Gaudeo summopere, quia per hanc rationem video non solum, quod animæ sint de facto immortales, sed etiam quod homines sint à DEO creati immortales in tantum, quod per solum peccatum fuerint facti mortales; & nunc intelligo, quomodo per peccatum intraverit mors corporis, ut dicit Apostolus; & quomodo DEUS fecerit Hominem inextirpabilem, ut dicitur Sapientiæ Cap. 2. v. 23. id est, immortalem, ut dicit Jacobus Tirinus super hunc Textum. Et miror quod hoc fuerit notum Senecæ dicenti: *Mors homini pœna est, non natura.* Libro de Remediis fortitorum. Et video similiter, quod omnes homines debeamus resurgere in vitam immortalē, ut DEUS non defraudetur suo Fine, quem habet in creatione hominum. Ultra scire vellem: *quanam potentiarum anima sit nobilior,* scilicet an sit Voluntas, ut aliqui dicunt, an vero Intellectus, ut dicunt alii, an vero Memoria, de qua nullum memorare vidi?

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Multum scire desideras; & quia in hoc habes adeo bonum Finem, sicut dixisti, & ego credo de tua ingenuitate, non

non possum me negare. Itaque attende ad Finem, quare DEUS creavit istas potentias, & statim videbis id, quod desideras. Et nonne vides ex præcedentibus, quòd DEUS creaverit in anima Memoriam, ut anima per Memoriam ipsum memoret ; &, quòd DEUS creaverit in ipsa anima Intellectum, ut per ipsum eum intelligat ; & creaverit in eadem Voluntatem, ut per eam ipsum amet ?

Amator Veritatis. Ita est sine omni dubio.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Igitur, quia DEUS vult memorari, intelligi, & amari ab anima rationali, creavit in ea Memoriam, Intellectum & Voluntatem.

Amator Veritatis. Concedo istam consequentiam.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Et quare vult DEUS memorari, intelligi, & amari ? Nonne quia ipse est memorabilis, intelligibilis, & amabilis, & omnes suæ Dignitates sunt etiam memorabiles, intelligibiles, & amabiles ?

Amator Veritatis. Ita est.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Igitur propter memorabilitatem, intelligibilitatem, & amabilitatem suam & suarum Dignitatum creavit DEUS Memoriam, Intellectum & Voluntatem in anima rationali.

Amator Veritatis. Totum hoc libenter concedo.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Igitur creavit DEUS istas potentias æquales, & æquè nobiles.

Amator Veritatis. Proba mihi hanc consequentiam.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Si DEUS non creavit istas potentias æquales, & æquè nobiles, fecit unam vel aliam majorem & nobiliorem. Et, si fecit unam vel aliam majorem & nobiliorem, fecit propter suam & suarum Dignitatum memorabili-

tatem, vel propter suam & suarum Dignitatum intelligibilitatem, vel propter suam & suarum Dignitatum amabilitatem majorem & nobiliorem potentiam, quām propter alias ; sed hoc est impossibile : igitur.

Amator Veritatis. Majorem concedo, sed minorem non concedam, donec videam eam esse veram.

Discipulus Lulliana Doctrina. Est impossibile, quōd memorabilitas DEI, & suarum Dignitatum sit major & nobilior intelligibilitate, & amabilitate ipsius DEI, & suarum Dignitatum ; & est impossibile, quōd intelligibilitas DEI, & suarum Dignitatum sit major & nobilior memorabilitate , & amabilitate ipsius & ipsarum ; & idem dico de amabilitate. Quid dicis ad hoc ?

Amator Veritatis. Hoc totaliter concedo ; quia video memorabilitatem, intelligibilitatem, & amabilitatem DEI, & suarum Dignitatum esse infinitas, & infinitē nobiles ; & per consequens video, ipsas esse omnino æquales, & æquè nobiles, & neutram earum esse minorem, vel minus nobilem aliis.

Discipulus Lulliana Doctrina. Ergo memorabilitas, intelligibilitas, & amabilitas DEI, & suarum Dignitatum sunt æquè dignæ honorari, & neutra earum est dignior, nec minus digna.

Amator Veritatis. Hanc consequentiam nullatenus possum negare, quia est luce clarior.

Discipulus Lulliana Doctrina. Igitur Voluntas, quæ est justissima, & justior, quām nos concipere possimus, qualis est Voluntas DEI infinitē justa, non potest facere propter memorabilitatem suam & suarum Dignitatum plus, quām propter intelligibilitatem & amabilitatem suam & ipsarum, nec plus propter intelligibilitatem, quām propter memo-

memorabilitatem & amabilitatem; nec plus propter amabilitatem, quam propter memorabilitatem & intelligibilitatem, nec potest facere propter unam vel aliam aliquid nobilius, quam propter alias; quia, si DEUS hoc ficeret, non æqualiter honoraret eas, nec per consequens vellet eas æqualiter dignas honorari æqualiter honorare. Quid dicis ad hoc?

70. *Amator Veritatis.* Dico me esse convictum; quia evidenter video esse impossibile, quod DEUS propter suam memorabilitatem, & propter suam intelligibilitatem, & propter suam amabilitatem non fecerit potentias omnino æquales, & æquè nobiles; quia hoc fuisset facere propter unam plus, quam propter alias, & per consequens fuisset præponere unam alteri; cum tamen ex parte ipsarum nulla sit causa, nec ratio, quare una debat præponi aliis: & talis præpositio esset irrationabilis, ut mihi evidens est, sicut esset irrationabilis non præpositio, si staret causa & ratio præpositionis, qualis esset major nobilitas, vel major dignitas unius, vel alterius. Nunc habeo aliam difficultatem valde magnam, quam si mihi solvas, jam nolo amplius procedere, sed confitebor omnia, quæ dixisti usque modo, esse vera sine ulla dubitatione. Difficultas fundatur in hoc, quod ex prædictis inferatur, *DEUM perfectè & perfectissimè facere omnia quæ facit, & nullatenus posse perfectius operari*, nec æquè perfectè aliter, quam de facto operetur. Hoc autem est manifestè falsum; quia, sicut Filius est incarnatus, & non Pater, nec Sanctus Spiritus, ita Pater potuit incarnari, & etiam Sanctus Spiritus, & tunc ista Operatio DEI, quæ est Incarnatio, esset æquè perfecta, sicut est de facto Incarnatio Filii. Si ad hoc des mihi

sufficientem solutionem, ero totaliter contentus,
& credam quidquid velis.

Discipulus Lulliana Doctrina. In quo fundas,
quòd Pater potuerit incarnari?

Amator Veritatis. In hoc, quòd Pater habeat
tantam Potestatem, quantam habet Filius, nec
ullatenus Filius habeat majorem Potestatem, quam
Pater; & ex hoc infero, quòd, cum Filius potuerit
incarnari, etiam Pater potuit incarnari. Et idem
est dicendum de Sancto Spiritu.

Discipulus Lulliana Doctrina. Si hoc tuum
argumentum aliquid valeret, & esset sufficiens ad
probandum tuum intentum, etiam possem ego
dicere cum æquali fundamento: quòd Pater Divi-
nus potuerit generari; si enim Pater habet tantam
Potestatem, quantam habet Filius, nec ullatenus
Filius habet majorem Potestatem, quam Pater, ex
hoc possem inferre, quòd, si Filius potuit gene-
rari à Patre, & de facto generatur, etiam Pater
potuerit generari à Filio. Et etiam possem in-
ferre, quòd, cum Pater potuerit mittere Filium
in mundum, ut salvetur mundus per ipsum, etiam
Filius, qui habet tantam Potestatem, quantam
habet Pater, potuerit mittere Patrem in mundum.
Et similiter possem inferre, quòd, cum Filius po-
tuerit dicere & de facto dixerit: *doctrina mea non
est mea*; &, *omnia mihi tradita sunt à Patre meo*;
&, *data est mihi omnis Potestas in cælo & in terra*;
etiam Pater, qui habet tantam Potestatem, quan-
tam habet Filius, potuerit hæc *omnia dicere*.
Quid dicas ad ista?

Amator Veritatis. Certè nunquam talia cogi-
taveram; nec audeo ea concedere, quia video
magnam repugnantiam, quæ me totaliter detinet.

Disci-

Discipulus Lulliana Doctrinae. Attende ultra, & majora videbis : si, quia Pater Divinus habet tantam Potestatem, quantam Filius, licet tibi inferre, quod, si Filius potuit incarnari, etiam Pater potuit incarnari : igitur, quia Pater habet tantam Voluntatem, quantam Filius, licebit mihi inferre : quod, si Filius voluit incarnari, etiam Pater voluerit incarnari. Et, cum Pater faciat quidquid vult, quia sua Voluntas est omnipotens, & ipsam nihil impedire potest, Pater de facto incarnatus est.

Amator Veritatis. De facto non scio, quid respondere possim ; & tamen video, quod, si aliquis diceret, quod Pater non potuerit incarnari, statim ipsum accusaremus, & inculparemus dicendo : quod ex suo dicto sequeretur, quod Potestas Patris esset minor, quam Potestas Filii, & per consequens, quod Potestas Patris non sit infinita.

Discipulus Lulliana Doctrinae. Si ergo vos dicitis : quod Pater noluerit incarnari, debetis accusari, & inculpari dicendo : quod ex hoc sequeretur, quod Voluntas Patris esset minor, quam Voluntas Filii, & per consequens, quod Voluntas Patris non esset infinita. Vel, si vos dicitis, quod, licet Pater noluerit incarnari, & Filius voluerit incarnari, & tamen ex hoc non sequitur, quod Voluntas Patris sit minor Voluntate Filii, nec quod sit finita ; si ego dicam, quod Pater non potuerit incarnari, & Filius potuerit, tamen ex hoc non sequitur, quod Potestas Patris sit minor Potestate Filii, nec quod sit finita.

Amator Veritatis. Nullatenus scio, quid rationabiliter in contrarium dicere possim ; & tamen nondum video, quod Pater non potuerit incarnari, ideoque, si ita est, enixè deprecor te, ut digneris mihi hoc clarè ostendere.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Quia jam insinuasti, quòd, si hanc difficultatem tibi apertè solvam, eris contentus & non ultrà progredieris, volo in ipsa, tanquam in ultima, per longum, latum, & profundum procedere, ad videndum, an tibi possim dare totalem satisfactionem. Quando nos in hac mortali vita, in qua intelligimus per partes non solum ea, in quibus sunt partes, sed etiam ea, in quibus non sunt, loquimur de Potestate DEI, loquimur de eâ secundùm quod à nobis apprehenditur, sive secundùm quod habemus eam apprehensam, vel repræsentatam in nostra apprehensione; & quia Vos aliquando apprehenditis Potestatem DEI infinitam non apprehendendo simul cum ea, & in ea cæteras Divinas Dignitates, ideo aliquando loquimini de Potestate DEI in vestra apprehensione abstracta à cæteris Divinis Dignitatibus. Et hæc Potestas sic considerata est dicenda *Potestas absoluta*, quia est abstracta, & quasi separata seu disligata sive absolute à cæteris Divinis Dignitatibus, & est solum Potestas infinita secundùm se considerata. Quando vos habetis hanc Potestatem sic apprehensam in vestra consideratione, tunc cogitatis & putatis, quòd ipsa possit facere, quidquid in linea possendi potestis apprehendere; & sic putando dicitis, quòd ipsa possit facere unum corpus ex omni parte infinitum habens unum infinitum caput, & plures infinitos pedes; & possit creare mille millia mundorum, & ultra; & possit evacuare cœlum expellendo ab eo omnes beatos, & postea implere ipsum damnatis; & possit salvare Judam, & damnare Sanctum Petrum, & possit assumere naturam Angelicam, & plures naturas humanas, & etiam bestiales, & lapideas, imò & naturas omnium crea-

creaturarum, & plura alia similia. Hæc cogitatis & dicitis, si consideretis solam Potestatem DEI, & consideretis eam esse infinitam in linea possendi, quia consideratis, quod omnia ista pertineant ad lineam possendi: & propterea sic cogitando putatis, quod, si Potestas DEI non posset facere aliiquid ex supra dictis, esset minus potens, & per consequens esset finita. Nonne ita est?

Amator Veritatis. Ita est sine apice plus vel minus, saltem in mea cogitatione.

Discipulus Lulliana Doctrina. Non sic cogitabant Sancti Patres, nec sic considerabant Potestatem DEI, nec sic consideraretis eam vos, si essetis discipuli ipsorum. Quis enim sic considerans Potestatem DEI non putaret, quod DEUS possit dimittere omnia peccata sine ulla satisfactione, & assumere ad beatitudinem hominem obligatum debito peccati? Et tamen Sancti Patres docent, & probant oppositum. Audi unum maximæ authoritatis inter Theologos, scilicet S. Anselmum: *Tene igitur certissime, quia sine satisfactione, id est sine debiti solutione spontanea nec DEUS potest peccatum impunitum dimittere, nec peccator ad beatitudinem pervenire.* Lib. I. *Cur DEUS homo,* Cap. 19. Lit. E. *Nec ullum obligatum aliquatenus debito peccati assumere potest ad beatitudinem.* Ibid. Cap. 21. Lit. A. *Quomodo tibi placet iste modus loquendi, considerabat iste sapientissimus Doctor Potestatem DEI modo, quo vos eam consideratis?*

Amator Veritatis. Certè non; imò considerabat eam valde aliter.

71. *Discipulus Lulliana Doctrina.* Nunc considera & attende in conscientia, an judices Potestatem DEI esse majorem in linea possendi, quam sit Voluntas DEI in linea volendi, an verò judices eas esse

æquales? Si judicas in tua conscientia Potestatem DEI in linea possendi esse majorem Voluntate DEI in linea volendi, habes in tua conscientia judicium contrarium professioni Fidei Catholicæ, quam nobis tradit Ecclesia in Symbolo dicto Sancti Athanasii dicens : *Et in hac Trinitate nihil majus, aut minus,* quod idem est ac dicere : *in DEO nihil majus aut minus;* quia Trinitas est DEUS sine dubio, & habes in tua conscientia judicium contrarium omni sanæ Rationi, quia manifestum est, quod non possit Potestas DEI esse major in linea possendi, quam Voluntas in linea volendi, nisi Voluntas in linea volendi sit minor : & etiam est manifestum, quod Voluntas DEI in linea volendi non possit esse minor, nisi sit finita ; quia nullum minus potest esse infinitum, sicut nullum infinitum potest esse minus. Percipis ita esse ?

Amator Veritatis. Bene percipio ; sed tamen rogo, ne me cogas ad aliquid respondendum, quia puto, quod melius intelligam, si discurras, & ego in silentio & sine distractione attendam.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Audi ergo & intellige : si tu, & quilibet aliis, in conscientia judicetis, quod Potestas DEI in linea possendi, & Voluntas in linea volendi sint *æquales*, sicut de facto sunt de necessitate, deberetis proportionatè ponere in vestra consideratione Voluntatem DEI infinitam in linea volendi, & non apprehendere cum ea & in ea cæteras Divinas Dignitates, & tunc haberetis in vestra consideratione Voluntatem DEI infinitam abstractam à cæteris Divinis Dignitatibus, quæ est dicenda *Voluntas absoluta*, quia est abstracta, & quasi separata, & disligata sive absoluta ab eis, & solum est Voluntas infinita secundum se considerata ; & tunc proportionatè, sicut facitis de Potestate,

testate, consideraretis, vel considerando haberetis in vestra cogitatione Voluntatem infinitam in linea volendi, & cogitaretis, quòd ipsa sic apprehensa velit facere, quidquid in linea volendi possetis apprehendere; & consequenter diceretis, quòd velit facere unum corpus ex omni parte infinitum habens unum infinitum caput, & plures infinitos pedes, & quòd velit creare mille millia mundorum, & ultra, & velit facere omnia supradicta de Potestate, & plura alia similia, & adhuc majora. Hæc omnia cogitaretis, & diceretis; quia consideraretis solam Voluntatem DEI, & consideraretis eam infinitam in linea volendi non plus nec minus, quàm Potestas DEI sit infinita in linea possendi: & consideraretis, quòd omnia supradicta pertineant ad lineam volendi; quia viderentur vobis volabilia, sicut videntur vobis possibilia; & propterea putaretis, quòd, si Voluntas DEI non vellet facere aliquid ex supradictis, esset minus volens, & per consequens finita, sicut similiter discurrendo putatis de Potestate.

Quia tamen non consideratis Voluntatem DEI sic abstractam, sicut consideratis Potestatem, propterea non habetis de Voluntate difficultatem, quam habetis de Potestate. Igitur considerate eam, quia non est major ratio unius, quàm alterius, & videbitis, quòd tota difficultas, quam habetis de Potestate, habenda sit de Voluntate; quoniam non est, nec potest esse Potestas in DEO major, quàm Voluntas, nisi Voluntas sit nihil, quia in DEO solum nihil est minus secundùm catholicam Fidem, & omnem sanam Rationem: unde sequitur, non esse justum, ad extollendam Potestatem DEI, deprimere Voluntatem ipsius. Attende bene ad sequentem modum discurrendi, & vide,

an sit in legitima forma, & in materia necessaria, &, si videoas defectum, ipsum indicabis.

Bonum est posse facere bonum, & bonum est velle facere bonum; &, ubi posse & velle sunt infinita, posse facere bonum & velle facere bonum sunt æquale bonum, quia utrumque est infinitum bonum: ergo, si est defectus in posse, vel in velle, erit æqualis defectus; quia æqualiter erit defectus contra infinitum bonum, sive sit defectus in posse, sive sit defectus in velle. Vel aliter.

Eo ipso, quod posse facere bonum sit bonum, sequitur, quod non posse facere bonum, sit malum, sive defectus Bonitatis in Potestate non potente facere bonum: igitur eo ipso, quod velle facere bonum sit bonum, sequitur, quod non velle facere bonum sit malum, & defectus Bonitatis in Voluntate non volente facere bonum. Igitur, qui non audet concedere, quod DEUS non possit facere unum corpus ex omni parte infinitum; nec audet concedere, & dicere, quod DEUS non possit creare mille millia mundorum, nec, quod non possit evacuare cœlum expellendo ab eo omnes beatos, & postea implere ipsum damnatis; nec audet dicere, quod DEUS non possit salvare Iudam, & damnare Sanctum Petrum, nec, quod non possit assumere naturam Angelicam, & plures humanas, & adhuc bestiales & lapideas; nec audet dicere, quod DEUS Pater & S. Spiritus non potuerint incarnari, & alia similia; & hæc non audet concedere & dicere, quia timet concedere & affirmare defectum Potestatis in DEO, vel in Patre & S. Spiritu; procedendo consequenter, non deberet audere concedere, & dicere, quod DEUS non velit facere omnia supradicta; nec deberet audere concedere, quod Pater & S. Spiritus non voluerint

incar-

incarnari, & alia similia; & hæc non deberet audere concedere, quia deberet timere concedere defectum Voluntatis in DEO, vel in Patre & S. Spiritu.

Et, qui audet concedere, quòd DEUS non velit facere omnia supradicta, non habet rationem, quare non debeat audere concedere, quòd DEUS non possit facere illa eadem. Et, quòd audeat unum, & non audeat aliud, non potest provenire aliunde, nisi quia considerat, quòd non velle non sit defectus Voluntatis in DEO: &, qui hoc considerat, quare non considerat, quòd non posse non sit defectus Potestatis in ipso DEO? Non video rationabilem causam; quia, si velle est bonum, non velle est defectus boni, non plus nec minus, quàm si posse est bonum, non posse sit defectus boni. Si hæc consideres & rumines, faciliter ea intelliges; quia, licet re vera sint subtilia, tamen sunt intelligibilia, cùm sint nuda & pura Veritas.

Si aliter consideres Potestatem DEI, sicut ego eam considero, & apprehendas cum ea, & in ea omnes Divinas Dignitates, cum quibus ipsa est unum & idem omnino inseparabiliter, tunc ipsa in tua consideratione jam non erit abstracta à cœteris Divinis Dignitatibus, nec erit absoluta, & quasi disligata ab eis, imò erit in tua consideratione taliter conjuncta cum omnibus ipsis, quòd sit idem cum eis, sicut de facto est in re: considerabis enim & apprehendes eam bonam per Bonitatem, & taliter bonam, quòd sit ipsa Bonitas; & tunc, quia considerabis eam bonam & Bonitatem, jam tua cogitatio non putabit, quòd ipsa possit facere nisi bonum; & tunc dices, quòd Potestas DEI non possit facere malum; & hoc dices sine ullo

scrupulo, quia videbis, quod istud *non posse* non sit defectus Potestatis, imo sit perfectio ipsius. Et considerabis & apprehendes eam nobilem & magnificam per Nobilitatem & Magnificentiam; & taliter nobilem & magnificam, quod sit ipsa Nobilitas & Magnificentia; & tunc, quia considerabis eam talem, jam tua cogitatio non putabit, quod ipsa possit facere, nisi opera nobilia & magnifica; & tunc dices, quod Potestas DEI non possit facere opera vilia & abjecta; & hoc dices sine ullo timore, quia videbis, quod istud *non posse* non veniat ex defectu Potestatis, sed ex Perfectione ipsius, scilicet ex Nobilitate & Magnificentia, quae non sunt defectus, imo sunt Perfectio Divinæ Potestatis. Et considerabis & apprehendes Divinam Potestatem esse sapientem & prudentem per Sapientiam & Prudentiam; & taliter sapientem & prudentem, quod sit ipsa Sapientia & Prudentia; & tunc, quando considerabis & apprehendes eam talem, jam tua cogitatio non putabit, nec presumet, quod ipsa possit operari nisi sapienter & prudenter; & tunc dices sine periculo offendendi divinam Potestatem, quod ipsa non possit facere opera stultiæ & imprudentiæ; & hoc audacter dices, quia videbis, quod istud *non posse* non veniat ei ex defectu, sed ex Perfectione; posse enim operari sapienter & prudenter est Perfectio Potestatis, sed posse operari stulte & imprudenter est defectus ipsius.

Si similiter discurras per cæteras Divinas Dignitates, cum quibus omnibus Divina Potestas est unum & idem, videbis, quod ipsa non possit operari, nisi libere & liberrimè, virtuosè & virtuosissimè, gloriose & gloriosissimè, justè & justissimè. Ratio erit tibi manifesta & evidens; quia, cum

Divina

Divina Potestas sit libera & liberrima, imò & ipsa Libertas, & sit virtuosa & virtuosissima, imò & ipsa Virtus, & sit gloria & gloriissima, imò & ipsa Gloria, & sit justa & justissima, imò & ipsa Justitia in superlativo gradu, & debeat operari taliter, qualiter ipsa est, est necessarium, quòd ipsa operetur liberè, virtuosè, verè, gloriose, & justè, & hoc in superlativo gradu non admittente gradum superiorem, nec æqualem, non solum actualiter, sed etiam possibiliter; & non potest operari coactè, vitiosè, falso, ignominiosè, neque injustè.

Istud non posse videbis, quòd non sit defectus in Divina Potestate, imò sit maxima Perfectio in ipsa, & posse esset defectus; si enim Divina Potestas posset operari coactè, ipsa posset ab aliqua alia Potestate cogi, & superari, & hoc non posset esse, nisi deficeret ei posse resistere & superare omnes alias potestates: igitur, si deficeret ei istud posse resistere, & superare, esset in ea defectus; &, si non deficit ei istud posse, est in ea Perfectio Potestatis, ratione cuius Perfectionis ipsa potest vincere & superare omnes alias Potestates, & non potest vinci nec superari ab ulla alia Potestate. Unde manifestè vides, quòd Divinam Potestatem non posse operari coactè non sit defectus ipsius, sed sit defectus omnium aliarum Potestatum, quæ non possunt sufficere ad cogendum Divinam Potestatem; quia ipsa ratione suæ maximæ Perfectonis & excellentiae infinitè excellit super omnes eas. Similiter esset defectus in Divina Potestate, si ipsa posset operari vitiosè, vel injustè, ut per se manifestum est.

Unde patet, quòd, quando dicimus Divinam Potestatem aliquid non posse, si verum dicamus, non significemus in ea impotentiam, sed signifi-

cemus impotentiam in aliis rebus, quæ non possunt facere, quod ipsa possit. Sicut si diceremus, Divinam Potestatem posse cogi & superari, vel aliquid simile, non significaremus in ea Potestatem, sed in aliis rebus potentibus eam cogere & superare; imò significaremus in ea impotentiam, ratione cuius ipsa esset impotens ad resistendum & superandum. Iстам considerationem habebat S. Anselm. quando dixit: *Multa dicuntur posse non suā, sed aliena potestate; & multa non posse, non suā, sed alienā impotentia.* De casu Diaboli Cap. 12. Lit. D.

Ista Potestas sic considerata est dicenda Potestas ordinata, sicut de facto dicitur talis à nostro Sancto Doctore, quia consideratur cum ordine ad ceteras Divinas Dignitates; sed illa Potestas, de qua primò locutus sum, & quam vos soletis habere in mente, est dicenda Potestas absoluta, quia consideratis eam absolutè & secundum se, hoc est sine prædicto ordine. Unde, cùm possibile dicatur in ordine ad Potestatem, sicut volibile dicitur in ordine ad Voluntatem, & intelligibile in ordine ad Intellectum, ut per se manifestum est; cuilibet Potestati ex prædictis correspondet suum possibile, & cuilibet possibili correspondet sua Potestas, in ordine ad quam dicitur, & est possibile: & hinc provenit, quòd id, quod est possibile per unam Potestatem, sit impossibile per aliam, sicut id, quod est intelligibile per unum Intellectum, est inintelligibile per alium; & quod potest una Potestas, non potest alia, scilicet illa, respectu cuius non est possibile, ut satis manifestum est.

Cùm igitur in DEO consideretur duplex Potestas, scilicet absoluta & ordinata, debet etiam considerari duplex possibile, scilicet possibile correspond-

respondens Potestati absolutæ, quod dicitur possibile per Potestatem absolutam DEI, respectu cuius dicitur possibile ; & possibile correspondens Potestati ordinatae DEI, quod dicitur possibile per Potestatem ordinatam, respectu cuius est possibile. Cùm etiam cuilibet Potestati correspondeat suum impossibile, quod est omne id, quod ipsa non potest, sive quod in ordine ad ipsam non est possibile, ut per se manifestum est, quia non possibile & impossibile idem est ; propterea cuilibet Potestatum in DEO consideratarum debet correspondere suum impossibile ; & ita debet considerari impossibile in ordine ad Potestatem absolutam DEI, & impossibile in ordine ad Potestatem ordinatam ipsius. Primum est, quod per Potestatem absolutam DEI non est possibile, sive ponibile in *esse* ; Secundum autem est, quod per Potestatem ordinatam DEI non est possibile, sive ponibile in *esse*. In hoc non potest esse minima difficultas, quia ex ipsis terminis est manifestum. Nunc vellem audire ab aliquo, quid judicet possibile in ordine ad Potestatem absolutam DEI, & quid judicet impossibile in ordine ad eandem ? Scio tamen, quòd quilibet judicabit possibile in ordine ad hanc Potestatem, quidquid in linea essendi sit excogitabile, sive bonum sive malum, sive decens sive indecens, sive justum, sive injustum ; & hoc modo judicabit quilibet esse possibile, quòd mundus sit plenus hominibus unitis & pressis aliis supra alios, sicut haleces à superficie terræ usque ad cœlum Lunæ, & à cœlo Lunæ usque ad superius, & sic successivè usque ad supremum, & adhuc ultra à suprema superficie supremi celi ascendendo usque in infinitum. Hoc judicabitur possibile in ordine ad Potestatem DEI absolutar-

quia hoc est excogitabile in linea essendi ; & idem est dicendum de omnibus aliis rebus consimilibus. Impossibile verò in ordine ad hanc Potestatem cum difficultate poterit inveniri, quia est solum id, quod non est excogitabile in linea essendi, & judicabitur esse solum id, quod ex propriis terminis dicit manifestam contradictionem, sicut idem simul esse & non esse, fuisse & non fuisse, futurum esse, & non futurum esse.

Vellem etiam audire ab aliquo, quid judicet possibile in ordine ad Potestatem ordinatam DEI, & quid judicet impossibile in ordine ad eandem ? Scio tamen, & dico, quod nemo possit rationabiliter judicare aliud tale possibile, nisi solum id, quod concordat cum omnibus Divinis Dignitatibus in tantum, quod nulli earum contrarietur. Ratio est manifesta, quia, cum consideremus Potestatem DEI ordinatam, non divisim, sed conjunctim cum omnibus Divinis Dignitatibus, cum quibus ipsa est unum & idem omnino inseparabiliter, haec Potestas non est Potestas tantum, sed est Potestas bona, magna, sapiens, virtuosa, vera, gloria, perfecta, justa, &c. & est simul Bonitas, Magnitudo, Sapientia, Virtus, Veritas, Gloria, Perfectio, Justitia &c. Cumque Bonitas non possit facere malum, quia ei repugnat, cum malum sit contra bonum, & per consequens contra Bonitatem ; est manifestum, quod Potestas, quae est bona & Bonitas, possit facere bonum, quod concordat cum Bonitate, & non possit facere malum, quod repugnat Bonitati. Hoc est per se evidens. Cumque similiter dicendum sit de omnibus ceteris Divinis Dignitatibus, quia Potestas DEI ordinata est omnes ipsæ, concludi debet, quod Potestas ordinata DEI possit facere omne id, quod concordat

cordat cum omnibus Divinis Dignitatibus, & non possit facere quidquam, quod uni vel alteri earum contrarietur: unde necessariò concludendum est, quòd possibile in ordine ad Potestatem ordinatam DEI sit omne id, quod concordat cum omnibus Divinis Dignitatibus, in tantum, quòd nulli eorum repugnet; impossibile verò in ordine ad ipsam sit quidquid cuilibet Divinæ Dignitati repugnat. Itaque faciliter possumus cognoscere, quid sit impossibile in ordine ad Potestatem ordinatam DEI, si discurramus artificialiter per Divinas Dignitates, quæ sunt principia Lullianæ Artis; quia eo ipso, quòd videamus aliquid repugnare uni vel alteri eorum, statim videmus illud tale esse impossibile. Nondum aliquid dicas?

Amator Veritatis. Nihil possum dicere, sed solum mirari super his, quæ audio; quia video, quòd sint omnino innegabilia, & tamen confundunt totum meum antiquum conceptum valde mirabiliter. Desidero autem videre hoc ultimum exemplificari in aliqua quæstione, quæcunque illa sit, & quæ tibi melius placuerit, quia nolo amplius questionare, sed solum audire ea, quæ dignaberis mihi dicere.

72. *Discipulus Lullianæ Doctrinae.* Sit quæstio: *An homo potuerit à DEO produci talis, quòd exiens de manu DEI jam esset corruptibilis & mortalis per naturam, quam à DEO reciperet, & per consequens independenter ab omni peccato?* Ad videndum quid nobis dicant Divinæ Dignitates, debemus recurrere, si velimus sapienter solvere hanc quæstionem, sicut & quamlibet aliam. Itaque in præsenti discurramus sic: si homo posset à DEO produci talis, qualis in quæstione ponitur, DEUS posset eum facere corruptibilem & mortalem per naturam

ipsius independenter ab omni peccato. Et, si DEUS posset hoc facere, posset velle corruptionem & mortem in homine per naturam ipsius independenter ab omni peccato. Et, si DEUS hoc posset velle, cum corruptio & mors sit pœnosa homini, DEUS posset velle homini pœnam sine culpa: velle autem alicui pœnam sine culpa non concordat cum Bonitate & Benignitate DEI, nec concordat cum Justitia, nec cum Misericordia, nec cum Gratia; imò repugnat eis, ut per se manifestum est. Et, si hoc repugnat jam primo intuitu tot Divinis Dignitatibus, & sufficit quòd repugnet uni, ut sit impossibile, quomodo erit possibile? Et si cognoscamus, quòd hoc non sit possibile, cognoscimus etiam, quòd non sit actuale; & ita, si quis affirmet DEUM fecisse hominem mortalem in tantum, quòd moreretur per suam naturam, licet non haberet peccatum, videmus suam affirmationem esse erroneam & contrariam Perfectioni DEI. Similem modum discurrendi possumus judicare, habuisse Concilium Milevitum Can. I. quando loquitur his verbis: *Placuit &c. ut, quicunque dicat Adam primum Hominem mortalem factum ita, ut sive peccaret, sive non peccaret, moreretur non peccati merito, sed necessitate naturæ, Anathema sit;* & etiam S. Anselm. Lib. 2. *Cur DEUS Homo?* Cap. 2. dicens: *Quod autem talis factus sit, ut necessitate non moreretur, hinc facile probatur, quia sapientia & justitia DEI repugnat.* Unde vides quòd, discurrendo per Divinas Dignitates, faciliter probabat S. Anselmus suum intentum, & quòd faciliter possimus cognoscere modo prædicto, quid sit impossibile.

Sed cognoscere quid sit possibile, est aliquantulum difficile, quia ad hoc debet fieri discursus

per

per omnes Divinas Dignitates, vel saltem per illas, quas assignat Illuminat. Doctor pro principiis suæ Artis, ut videatur an alicui earum repugnet; & quandoque videtur non assuetis, quòd aliquid sit possibile, quando per alias Divinas Dignitates discurrunt, quod tamen postea, prosequendo discursum per alias, inveniunt esse impossibile. Si tamen inveniatur repugnantia in principio discursus, statim potest resolvi, quòd illud sit impossibile; quia omnis repugnantia vel inconvenientia contra quamlibet Divinam Dignitatem est omnino impossibilis. Hoc notum erat S. Anselmo, ut patet in Lib. de Fide Trinitatis & de Incarnatione Verbi. Cap. 5. Lit. C. in quo postquam quæsierat: *Cur DEUS magis assumpserit Hominem in unitatem Personæ Filii, quam alicujus aliarum?* Et discurrendo invenisset inconvenientias ex parte Personæ Patris, & etiam ex parte Personæ Sancti Spiritus, sic resolutoriè concludit: *Quoniam ergo quodlibet parvum inconveniens in DEO est impossibile, non debuit alia Persona incarnari, quam Filius; illo enim incarnato nullum sequitur inconveniens.* Et dicere non debuit: est idem, ac dicere non potuit, ut clarè patet omnilegenti opera hujus Sancti Doctoris.

73. Ex supradictis manifestè patet, quòd, si loquamur de Potestate DEI modo, quo à te apprehendebatur, & à multis apprehenditur, scilicet absolutè, & sinè respectu ad cæteras Divinas Dignitates, possibile habeat magnum ambitum in consideratione taliter apprehendentium; sicut etiam, si loqueremur de Voluntate DEI absolutè & sinè respectu ad cæteras Divinas Dignitates, quomodo debet apprehendi, si consequenter procedatur, & non ponatur minor Potestate, volibile haberet similiter magnum ambitum in consideratione taliter

apprehendentium. Si verò loquamur de Potestate DEI ordinata, sive quatenus concipitur cum ordine ad ceteras Divinas Dignitates, cum quibus ipsa est unum & idem, possibile jam non habet tantum ambitum in consideratione concipientium Potestatem DEI isto modo; sicut etiam nec volatile habet tantum ambitum, si loquamur de Voluntate DEI similiter ordinata. Ratio est manifesta, quia tunc solum concipiems esse possibile id, quod est per Divinam Bonitatem bonificabile, & per Divinam Magnitudinem magnificabile, & per Divinam Sapientiam scibile, & per Divinam Voluntatem amabile, & per Virtutem virtuificabile, & per Veritatem verificabile, & per Gloriam glorificabile, & per Perfectionem perfectibile, & per Justitiam justificabile, &c.; &, cui aliquid istorum deficiat, est omnino impossibile. De isto impossibili loquitur S. Anselmus Lib. I. *Cur DEUS Homo?* Cap. 14. Lit. A. sic dicens: *DEUM impossibile est honorem suum perdere; aut enim peccator sponte solvit, quod debet, aut DEUS ab invito accipit;* & Cap. 15. Lit. A. *Quae duo, quoniam, sicut sunt inconvenientia, ita sunt impossibilia, necesse est, ut omne peccatum satisfactio aut pena sequatur;* & Cap. 17. in principio: *Cum videbis nostrae restaurations difficultatem, intelliges Angelorum reconciliationis impossibilitatem.* Si hæc non sufficiant, poteris plura videre in isto S. Doctore locis citatis, & in omnibus aliis libris. Dixi notanter, quod possibile in ordine ad Potestatem absolutam DEI habeat magnum ambitum in consideratione taliter apprehendentium Potestatem DEI, & non dixi, quod habeat ipsum in re, quia in re habet multò majorem ambitum, licet videatur non bene aspicientibus habere ipsum valde minorem; nullus enim est,

est, qui possit concipere, quantum sit possibile in ordine ad Potestatem, quā DEUS operatur, quæ quidem non est absoluta. Hic jam est hora inquirendi, ubi fit illud possibile tanta latitudinis, quod dicitur possibile in ordine ad Potestatem DEI absolutam à ceteris Divinis Dignitatibus? Et ad hoc mihi debes respondere, quia volo scire tuum judicium.

Amator Veritatis. Ego non puto, quòd sit, nisi ubi est absoluta Potestas, cuius ipsum est objectum; quia manifeste video, quòd non possit esse alibi.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Bene dicis. Sed ultra dic: ubi est ista absoluta Potestas?

Amator Veritatis. Ego non scio, ubi possit esse; quia credo, quòd non possit esse in DEO, in quo Potestas est omnis Perfectio.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Ego tamen scio, ubi sit; quia scio, quòd sit in apprehensione illorum, qui cogitant & apprehendunt infinitam Potestatem DEI absolute, & in se solam absque ceteris Divinis Dignitatibus; & scio, quòd non sit extra dictam apprehensionem, & per consequens, quòd non sit in DEO realis, sed solum in phantasia Hominum intentionalis. Quis enim seriò auderet credere, vel putare, & dicere, quòd in DEO sit Potestas, quæ non sit bona, & Bonitas, magna & Magnitudo, sapiens & Sapientia, justa & Justitia, & omnis Divina Perfectio?

Amator Veritatis. Non possum cogitare, quòd Homō rationalis sit, qui audeat credere, vel putare, & dicere oppositum.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Igitur legitimè concludere debemus per necessariam rationem, quòd realis Potestas, quæ est in DEO, sit Potestas ordinata, quæ re vera est omnis Divina Dignitas;

&

& similiter concludere debemus, quod reale possibile, quod est objectum hujus realis Potestatis, sit id, quod est objectum omnium Divinarum Dignitatum ; & ita reale possibile est id, quod est bonum sive bonificabile per Divinam Bonitatem, & quod est volitum sive amabile per Divinam Voluntatem, & quod est justum sive justificabile per Divinam Justitiam, & quod est perfectum sive perfectibile per omnes Divinas Perfectiones ; & quidquid aliud judicetur possibile, est possibile tantum imaginarium. Et hoc facilimè demonstratur sic : eo ipso, quod Divina Potestas sit Divina Bonitas, & Divina Magnitudo, & Sapientia, & Voluntas, & Veritas, & Justitia, & sic de ceteris Divinis Dignitatibus, sequitur, quod, quando Divina Potestas ponit aliquid in esse, Divina Bonitas illud bonificet, & Divina Magnitudo magnificet, & Divina Sapientia sciat, & Voluntas velit, & Justitia justificet illud idem, & hoc adeo necessariò, quod aliud sit omnino impossibile, quia est omnino necessarium, quod Potestas DEI sit Bonitas, & Magnitudo, & Sapientia, & Voluntas, & Justitia & omnis Divina Dignitas ; & est omnino impossibile, quod non sit omnia prædicta. Unde resolutoriè dicendum est, quod realiter loquendo DEUS non possit facere, nisi id, quod vult, nec velit facere, nisi id, quod potest ; & possit facere omnia, quæ vult ; & velit facere omnia, quæ potest ; quia in DEO Potestas est Voluntas, & Voluntas est Potestas sine omni distinctione reali, ut passim legitur in SS. Patribus. Lege Lectiones Breviarii Romani in Festo Annuntiationis B. Mariæ V. & videbis S. Leonem Papam hoc expressè affirmantem in principio primæ Lectionis secundi Nocturni. Scito etiam, quod omnis distinctio
realis

realis inter Divinas Dignitates , præterquam sit valde irrationabilis, sit damnata in Concil. Florent. Sess. 18. & in Lateran. Cap. *Damnamus*. De summa Trinitate, & etiam in Rhem. Ad comprobationem prædictorum velle, quod legeres S. Fulgentium Lib. 3. cap. 23. Ad Traсимundum Regem, in quo invenires : *Quantam potuit habere Christi Divinitas Potestatem, cui hoc est semper velle, quod posse? . . . In illo dignè plena Potestas creditur, cui tantum posse, quantum velle, & tantum velle, quantum posse naturaliter suffragatur.* Et non est solus iste S. Pater & magnus Doctor, qui talia dicat, sed plures alii sunt, & puto, quod nullus sit, qui dicat oppositum ; quia est valde irrationabile, sicut jam ex multis supradictis sufficienter evidens est.

74. *Amator Veritatis*. Quid si aliquis diceret : quod sint aliqui SS. Patres & Doctores affirmantes quod, si DEUS Pater voluissest incarnari, potuissest, & similiter S. Spiritus ; & quod, si DEUS voluissest assumere naturam Angelicam, potuissest, & plura similia, quibus verbis videntur insinuare in DEO Potestatem, & non Voluntatem ? Hoc dico, quia licet ista non legerim, tamen ea audivi.

Discipulus Lullianæ Doctrinae. Si aliquis mihi hæc objiceret, absolutè responderem : Sanctos Patres & Doctores in hoc punto verum dicere, quia verum est, quod, si Pater Divinus voluissest incarnari, potuissest, & de facto incarnatus esset, & hoc potest probari & demonstrari sic : Pater Divinus est DEUS ; in DEO Voluntas est Potestas : igitur in Patre Divino Voluntas est Potestas. Ubi Voluntas est Potestas, actus Voluntatis est actus Potestatis : igitur in Patre Divino actus Voluntatis est actus Potestatis ; sed actus Voluntatis est velle, & actus Potestatis est posse : igitur in Patre Divino

Divino velle est posse. Et, si ita est, in eodem voluisse est potuisse: igitur, si Pater Divinus voluisset incarnari, potuisset. Et adhuc possum addere, quod, si Pater Divinus vellet nunc incarnari, etiam posset. Et hoc est manifestum; quia, si in eo Voluntas est Potestas, in eo Potestas est inseparabilis à Voluntate, & posse est inseparabile à velle, & per consequens potuisse à voluisse; & sic quomodo cuncte componamus prædicationem, semper erit vera, sive dicamus: *Si Pater vult, potest, sive, si Pater volebat, poterat, sive, si Pater voluit, potuit, sive, si Pater voluerat, potuerat, sive, si Pater volet, poterit, si vellet, posset, si voluerit, potuerit, si voluisset potuisset.* Ex hoc autem nihil sequitur omnino; quia propositiones sunt conditionales, & manifestum est, quod posito uno ponatur aliud, si unum sit coniunctum cum alio; & ita posita Voluntate in DEO Patre ponitur in eo Potestas, & posito velle in ipso, ponitur posse sine omni dubio.

75. Attende ad sequentem modum discurrendi, & clarius videbis præcedentia. Quæri potest: an, *si Pater Divinus potuisset incarnari, voluisset?* Et ad hoc responderem affirmativè, quia verum est & verissimum, quod, si Pater Divinus potuisset incarnari, voluisset; &, si voluisset, incarnatus esset, quia ipse quæcunque voluit, fecit in cœlo, & in terra. Hoc clarissimè demonstrari potest omni habenti oculos videndi, sic: Pater Divinus est DEUS; in DEO Potestas est Voluntas: igitur in Patre Divino Potestas est Voluntas. Ubi Potestas est Voluntas, actus Potestatis est actus Voluntatis: igitur in Patre Divino actus Potestatis est actus Voluntatis; sed actus Potestatis est posse, & actus Voluntatis est velle; ergo in Patre Divino posse

posse est velle. Et, si ita est, in eodem potuisse est voluisse: igitur, si Pater Divinus potuisset incarnari, voluisset. Et adhuc possum addere, quod si Pater Divinus posset nunc incarnari, etiam vellet. Hoc potest clarissime demonstrari sic: si in Patre Divino Potestas est Voluntas, in ipso Voluntas est inseparabilis à Potestate, & velle est inseparabile à posse, & per consequens voluisse à potuisse; & sic quomodo cuncte componamus & dicamus, prædicatio semper erit vera, sive dicamus: si Pater potest, vult, sive, si Pater poterat, volebat, sive, si potuit, voluit, si potuerat, voluerat, si poterit volet, si posset, vellet, si potuerit, voluerit, si potuisset, voluisset. Et quid inde? Omnino nihil; quia propositio est conditionalis, & notum est, quod, si ponatur unum, ponatur aliud, quando unum est necessarium connexum cum alio & inseparabile ab ipso.

Unde legitimè deducitur, quod, sicut sunt veri isti modi loquendi: Si Pater Divinus voluisset incarnari, potuisse, & si vellet, posset, & idem est dicendum de S. Spiritu; similiter sint æqualiter veri isti alii: Si Pater Divinus potuisse incarnari, voluisse, &, si ipse posset, vellet; & idem est de S. Spiritu. Et quid habemus ex omnibus his? Essetne bona argumentatio, si aliquis diceret secundum SS. Patres & Doctores: si Pater Divinus voluisse incarnari, potuisse, igitur potuit & non voluit? Æquè bona esset sicut ista: si Pater Divinus potuisse incarnari, voluisse, igitur voluit & non potuit; quia certum est utramque habere eandem formam omnino, & materiam æqualiter veram & necessariam; sed, quia neutra habet legitimam formam, propterea utriusque consequentia est nulla. Notare tamen potes, quam inadvertenter aliqui ex vestris

vestris conceperint opinionem, quod SS. Patres & Doctores cum similibus modis loquendi voluerint significare, quod Pater Divinus potuerit incarnari, & non voluerit, & etiam S. Spiritus, & plura alia similia potuerint & non voluerint. Quomodo tibi placet?

76. *Amator Veritatis.* Non scio, quid possim dicere, nisi solùm mirari de cœcitate, quam video in nostris scholis, & de mirabili lumine, quod video esse in te, & credo esse etiam in aliis Lullistis. Scire tamen vellem, quomodo possit resolutoriè determinari hac quæstio: *An Pater Divinus potuerit incarnari? & similes?*

Discipulus Lulliane Doctrinæ. Facillimè fieri potest resolutio, si discurramus per principia & regulas Artis Generalis inquirendo convenientias & inconvenientias pro utraque parte quæstionis, scilicet pro parte affirmativa, & pro parte negativa; &, si simus periti, investigatio erit nobis facilis & jucunda usque ad resolutionem, si verò non simus periti, erit nobis gravis & tædiosa & difficilis, ne dicam impossibilis. Investigatio est facienda sic: primò debet inquiri, an sit bonum, vel justum, vel prudens, vel aliquid simile, quod Pater incarnetur; &, si discurrendo per principia positiva Artis inveniamus, quod non sit bonum, vel quod non sit justum, vel quod non sit conforme alicui Divinarum Dignitatum, quod Pater incarnetur, statim possumus resolvere quæstionem dicendo: quod Pater non possit incarnari; quia, cùm Potestas Patris sit bona & Bonitas, Pater non potest facere nisi bonum; & propterea invento, quod Patrem incarnari non sit bonum, statim videmus, quod Pater non possit nec potuerit unquam incarnari. Similiter effet, si invento, quod hoc effet bonum,

bonum, inveniremus, quod non esset justum, vel non esset prudens, vel non esset conforme uni vel alteri Divinarum Dignitatum. Quod autem non esset bonum, quod Pater incarnaretur, faciliter invenitur sic: bonum est, quod, quidquid est in DEO, sit bonum per Divinam Bonitatem, & non esset bonum, quod aliquid esset in DEO non bonum; quia tunc Divina Bonitas non bonificaret omnia, quae sunt in DEO, cum non bonificaret illud non bonum; &, sicut Divinam Bonitatem bonificare quidquid est in DEO, est bonum, sic ipsam non bonificare, esset non bonum; & ita jam videmus, quod sit impossibile esse in DEO aliquid non bonum. Etiam bonum est, quod, quidquid est in DEO, sit unum per Divinam Unitatem, & non esset bonum, quod aliquid esset in DEO non unum; quia tunc Divina Unitas non unificaret omnia, quae sunt in DEO, cum non unificaret illud non unum; &, sicut Divinam Unitatem unificare quidquid est in DEO, est bonum, sic ipsam non unificare, esset non bonum; & ita, sicut bonum est Patrem Divinum esse unum, sic non esset bonum ipsum non esse unum, nec esset bonum Filium non esse unum, nec S. Spiritum non esse unum; &, quia hoc non esset bonum, Potestas DEI, quae non potest facere, quod non est bonum, non potest hoc facere. Similiter bonum est, quod proprietas cuiuslibet Divinarum Personarum sit una & singularis, & uni soli Personae conveniens, & non esset bonum, quod aliter esset; &, quia sic bonum est, sic verum est; & sic est, quia bonum & verum convertuntur ad invicem & cum esse. Igitur bonum est, quod Paternitas in DEO sit una, & non esset bonum, quod non esset una; & bonum est, quod ipsa

existens una sit singularis, seu uni soli Personæ conveniens, & oppositum non esset bonum : & bonum est, quòd Filiatio in DEO sit una & singularis sive uni soli Personæ conveniens ; & non esset bonum, quòd aliter esset ; &, quia sic bonum est, sic verum est ; & sic est, & aliter non est, quia in DEO est, quod bonum & verum est, & in eo non est, quod non bonum & non verum est : & bonum est, quòd Generativitas, quæ est in DEO proprietas personalis, sit una & singularis, seu uni soli Personæ conveniens, & malum esset oppositum, vel saltem non bonum : & bonum est, quòd Generabilitas & Nascibilitas, quæ est in DEO proprietas personalis, sit una & singularis, seu uni soli Personæ conveniens, & malum vel non bonum esset aliter esse. Omnia prædicta, quia sunt bona, sunt in DEO possibilia & actualia, & omnia opposita sunt in ipso impossibilia. Et per hæc satis patet, quòd Pater Divinus non possit nec potuerit generari, concipi, nasci, nec per consequens incarnari ; & idem est dicendum de S. Spiritu.

77. *Amator Veritatis.* Sufficienter video ita esse, loquendo de Incarnatione modo, quo nunc est facta, scilicet per Generationem, Conceptiōnem, & Nativitatem, quas video repugnare Proprietati Patris, & S. Spiritū. Sed quid dicendum esset, si aliquis inquireret *an Pater potuerit incarnari creando in se humanam naturam de nihilo?* Tunc enim non opus esset, quòd generaretur, conciperetur, & nasceretur, & sic jam non valerent prædicta inconvenientia.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Hæc quæstio jam esset valde diversa, nec talis solet esse inter Theologos, qui loquendo de Incarnatione, quæ de facto facta

facta est, inquirere solent; quare facta sit in Filio, & non in Patre, nec in S. Spiritu? Et ultra prosequendo inquirere solent, an potuerit fieri in quacunque Persona indifferenter, an verò fuerit necessarium, quod fieret in solo Filio? Et hæc quæstio est utilis, quia per resolutionem ipsius videtur veritas Fidei Catholicæ; illa autem, quam tu proponis, nihil valet; quia est de Incarnatione non reali, sed imaginaria tantum. Tamen ad hanc quæstionem tibi responderem negativè; quia, si intelligatur Proprietas Patris, videtur eam esse purè activam, & nullatenus passivam, & per consequens pertinere ad ipsam solum dare, & nullatenus recipere: itaque quidquid sit, ad quod requiratur recipere, repugnat Proprietati Patris; cùmque ad Incarnationem, quomodounque fiat, requiratur recipere, ut per se manifestum est, quia Humanitas debet sustentari tanquam habitus in Persona incarnata, & debet dari ipsi Personæ à tota Trinitate, cùm Humanitas sit creatura, & per consequens donum creatum, quod recipi non potest, nisi à tota Trinitate dante: consequenter &c.

Licet ex prædictis jam satis constet Patrem, nec S. Spiritum potuisse incarnari, quia quolibet incarnato perderetur Unitas, & Singularitas Proprietatis personalis unius vel alterius Personæ, quomodounque fieret Incarnatio, quæ perditio est inconveniens, quia esset perditio boni, ut ex supradictis manifestum est, & per consequens est impossibilis; quia quodlibet inconveniens est in DEO impossibile, ut passim legitur in SS. Patribus, tamen, ut abundantius procedamus, discurredamus aliter sic:

Vel est bonum quod DEUS Pater incaretur, vel non est bonum? Si est bonum, ipse amat

incarnari, vel non amat omne bonum. Et, si DEUS Pater amat incarnari, ipse incarnatur de facto, quia ipse facit, quidquid vult, & amat ; cum à nullo impediatur, nec impediri possit, ne faciat omne id, quod amat. Et, si DEUS Pater non amat incarnari, cum ipsum incarnari sit bonum, ut supponitur, ipse non amat omne bonum. Et, si DEUS Pater non amat omne bonum, cum omne bonum sit amabile, ipse non amat omne amabile. Et, si ita est, suus amor non est infinitus; sicut, si ipse non cognosceret omne cognoscibile, sua cognitio non esset infinita, ut per se manifestum est; cumque sit manifestè impossibile, quod amor DEI Patris non sit infinitus, sicut etiam cognitio ipsius, manifestè appetet, quod ipse amet omne amabile, sicut cognoscit omne cognoscibile; & per consequens, quod amet omne bonum, & ita, vel Pater Divinus amavit incarnari, vel ipsum incarnari non fuit bonum. Et quis dicet, quod Pater Divinus potuerit facere id, quod non fuit bonum? Responde aliquid ad ista, si putas aliquid responderi posse rationabiliter.

78. *Amator Veritatis.* Pro me hæc sufficiunt, & superabundant ad videndum, quod totum oppositum eorum, quæ dicas, sint meri conceptus non habentes aliud fundamentum, nisi solam nostram imaginationem; sed majoris abundantiaz gratiâ volo aliquid interrogare, & est: quid dicendum est, si aliquis diceret: *Quod ex hoc sequatur, DEUM velle facere omnia quæ potest, & non posse facere, nisi ea, quæ vult facere;* quod quidem est contra communem Theologorum affirmantium, DEUM posse facere, quæ non vult facere?

Discipulus Lulliane Doctrinae. Ad hoc responde rem: quod sit verum in re, DEUM velle facere

omnia

omnia quæ potest, & non posse facere, nisi ea, quæ vult; & est mirabile, quòd hoc faciat difficultatem ulli Catholico; quia omnes tenemur confiteri secundùm definitiones Ecclesiæ in DEO posse & velle esse unum & idem in re. Et, si ita est, in DEO non est posse facere & non velle facere; sed, si est posse facere, est velle facere, &, si est non velle facere, est non posse facere. Meditare ista, & intellige, vel saltem crede, & tunc sinè ulla difficultate confiteberis tu, & quilibet aliis, qui prædicta intelligat vel credat, cum Synodo Africana vigesima universali, cui interfuit S. Augustinus, & dicetis toto corde: *Credo planè, DEUM hoc unicum non posse, quod non vult.* Et scire debes hanc confessionem fuisse subscriptam nomine totius Synodi à quatuor Episcopis, scilicet à S. Aurelio, à S. Augustino, à Florentino, & à Secundo, & habetur pro Dogmatica definitione. Totum hoc videre potes in operibus S. Augustini noviter impressis Tom. 12. Et similia videre potes in S. Fulgentio jam supra citato, quæ, ut melius in memoria retineas, repetam defumendo aliquid ultra ex ipsius Lib. 3. cap. 23. ad literam, & sunt sequentia: *Quantam potuit habere Christi Divinitas Potestatem, cui hoc est semper velle, quod posse . . . quæ autem plena Potestas nisi sola Divinitas? De qua dicitur: omnia, quæcumque voluit, fecit Psal. 134. & cui dicitur: subest enim tibi, cùm roles, posse, Sap. 12. propterea in illo dignè plena Potestas creditur, cui tantum posse quantum velle, & tantum velle quantum posse naturaliter suffragatur.*

79. Ad illud, quod dicebas, scilicet quod quidem est contra communem Theologorum affirmantium DEUM posse facere quæ non vult facere, dico quòd Theologi talia dicentes loquantur secundūm

communem modum concipiendi inter non bene intelligentes ; non autem loquuntur in re ; quoniam, si in re loquerentur, & de realitate rei hoc affirmarent, essent contrarii realitati Veritatis Divinæ affirmando in DEO distinctionem inter *velle* & *posse*, quæ, ut jam dixi, si in re loquamur, est damnata à Conciliis Generalibus. Et, si Theologi in re & de re loquerentur affirmando, DEUM plura posse facere, quam velit facere, affirmarent in DEO Potestatem majorem in possendo, & Voluntatem minorem in volendo, & per consequens aliquid majus, & aliquid minus in DEO ; quod esset contradicere Fidei & manifestæ rationi bene notæ à SS. Patribus. Audi S. Fulgentium lib. Ad Donatum cap. 6. *In DEO vero nihil minus existimari finit ipsa Veritatis agnitio* ; & non est credendum, quod ullus Theologus velit contradicere huic S. Patri, qui inter principales Patres à pluribus nominatur.

Unde verum est, quod secundum communem, & imperfectum modum concipiendi, DEUS possit multa facere, quæ non vult facere, non autem est verum, quod in re ita sit. Audi nostrum Illuminatum Doctorem de hac re aperte loquenter in *Lectura Compendiosa Tab. Gen. part. 3. pag. 13. num 8. Tom. 4. ex impressis Moguntia* : *Humanus intellectus (in DEO) considerat, quod Potestas sit major in possendo, quam Voluntas in volendo* ; *eum Potestas possit creare plures mundos, & Voluntas non velit creare, nisi unum* ; & *hoc, quod humanus intellectus considerat de Majoritate, non est realiter in DEO* ; *imò Voluntas tantum vult, quantum Potestas potest* ; & *Potestas tantum potest, quantum Voluntas vult*. Quomodo placet tibi hæc concordantia, quam vides inter nostrum S. Doctorem, & S. Fulgentium supra allegatum ?

Amar

80. Amator Verit. Magna est quidem concordantia, quia sunt ferè eadem formalia & materialia verba in utroque. Ego quidem credo, & aliquantulum video, quòd ita sit re vera, quòd DEUS tantum possit, quantum vult, & tantum velit, quantum potest sínè ulla majoritate neque ex parte Potestatis, neque ex parte Voluntatis; Scire tamen vellem, unde proveniat, quòd humanus intellectus consideret Majoritatem ex parte Potestatis DEI, & Minoritatem ex parte Voluntatis, cùm re vera inter ipsas non sit Majoritas nec Minoritas?

Discipulus Lulliana Doctrinae. Hoc provenit ex eo, quòd noster intellectus, nisi à superiori regula dirigatur, concipit in viâ DEUM per species de sumptas à creaturis per corporales sensus; cùm ipse in via sit ligatus sensibus; & ex talibus species bus format conceptum de DEO aliiquid addendo ad ea, quæ ipsi repræsentant prædictæ species, & aliiquid auferendo; & hinc est, quòd noster intellectus, nisi multùm purificetur, & exaltetur per gratiam DEI, semper concipiatur DEUM ad modum creaturarum: unde, quia noster intellectus videt in creaturis aliud esse posse, & aliud esse velle, propterea naturaliter distinguit in DEO inter posse & velle; &, quia videt in creaturis, & maximè in hominibus, quòd posse præcedat velle, & quòd velle sequatur posse, naturaliter inclinatur ad cogitandum, quòd in DEO hoc similiter eveniat; &, quia videt, quòd nos operemur aliqua, non quia possumus, sed quia volumus, putat, quòd in DEO similiter eveniat, & propterea naturaliter judicat, quòd DEUS operetur ea, quæ operatur, quia vult, & non quia potest; &, quia videt nos plura posse, & non omnia velle, similiter judicat de DEO. Hæc judicia autem, quæ facit intellectus discur-

rendo secundūm suum naturalem & imperfectum modum provenientem ei à peccato, sunt examinanda per regulas superiores, ante quām affirmemus judicia ipsius, & est videndum, an ipse erret; & si errat, est corrigendus & emendandus.

Amator Veritatis. Sed quomodo hoc fiet?

Discipulus Lulliana Doctrina. A Lullistis fit per regulas Artis, & signanter per regulam *de modo effendi & intelligendi*, quæ est secunda Artis Invenitivæ Veritatis; & maximè per regulam *De punctis transcendentibus*, quæ est octava ejusdem Artis; & generaliter fieri debet ab omnibus per Regulam Fidei, hoc est, per ea, quæ habemus per fidem in Scripturis, & in Determinationibus Ecclesiæ, & in SS. Patribus. Hinc est quòd, licet omnibus Christianis, & non Christianis videatur discurrendo secundūm nostrum modum, quòd aliud sit in DEO posse, & aliud velle, tamen nullus Catholicus audet affirmare, quòd ita sit in re; quia omnes corrigit suum modum concipiendi per Determinationes Ecclesiæ, quas habemus in oppositum, & quibus debetur major fides, quām nostro conceptui. Et, licet videatur omnibus disurrentibus secundūm suum imperfectum modum, quòd in DEO posse præcedat velle, tamen nullus Catholicus audet affirmare hoc ita esse in DEO realiter, quia detinetur à fide declarata in Symbolo, & in multis aliis locis, à qua edocemur, quòd in DEO non sit aliquid realiter prius, & aliquid realiter posteriorius. Et, licet videatur omnibus disurrentibus secundūm nostrum imperfectum modum, quòd DEUS operetur ea, quæ operatur, quia vult, & non quia potest, tamen nemini licitum est affirmare, quòd hoc ita sit in re; quia hæc affirmatio induceret de necessitate ad aliam, quæ est, quòd in

in DEO aliud sit posse, & aliud velle ; & quod in DEO velle sit principalius, quam posse, quæ affirmatio non est Catholica, nec rationabilis.

Unde manifestè concluditur, quod, si aliqui ex supradictis modis inveniantur inter Doctores Catholicos, sint exponendi in bonum sensum, dicendo : quod Doctores loquantur secundum nostrum modum concipiendi, non autem in re. Et si aliquis talis modus dicendi reperiretur in aliqua determinatione Ecclesiæ, vel etiam in Sacra Scriptura, sunt similiter exponendi, quia quandoque determinationes Ecclesiæ possunt loqui secundum nostrum modum concipiendi, sicut Scriptura pluries loquitur, ut patet ; nam, si non sic loqueretur, & semper loqueretur de DEO secundum quod in re est, teneremur credere, quod in DEO realiter sit dolor cordis intrinsecus, & pœnitentia, quia hoc legitur Gen. Cap. 5.; & teneremur etiam credere, quod in DEO sit cor, & manus, & oculi in re ; &, cum cor de necessitate sit pars, & oculi & manus similiter, teneremur credere, quod in DEO sint partes, & plura alia, quæ rationabiliter nec credi, nec dici possunt de DEO secundum rem.

Si hæc non sufficiant ad totaliter convincendum, quod Pater Divinus & etiam S. Spiritus re vera non potuerint incarnari, & per consequens, quod Incarnatio fuerit re vera possibilis soli Filio, licet secundum nostrum modum concipiendi videatur aliter esse, possum adhuc superaddere alias probationes magni momenti ; & ita, si tibi non est totaliter satisfactum, dic ingenuè, & ultra progrediar.

Amator Veritatis. Sum contentissimus, quantum in me est ; & tamen, quia tuæ probationes

mihi summopere placent, adhuc desidero audire aliquam aliam non tantum, ut magis confirmem in Veritate, quam sufficienter percipio per gratiam DEI, & per tuam benevolam dignationem, quantum ut mirer de mirabili re vera valde modo discurrendi Lullianè, & cum admiratione plus laudem & benedicam DEUM, qui talem scientiam dignatus est dare hominibus per Illuminatum Doctorem vestrum.

81. Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Quia non est malum tuum desiderium, volo tibi complacere. Dic mihi: Poterit quis rationabiliter putare, quod DEUS Pater, vel S. Spiritus potuerint incarnari, sine aliquo bono fine, quem potuerint habere?

Amator Veritatis. Hoc non puto, imò firmiter credo, quod nullus rationalis possit credere, DEUM posse quidquam facere sine rationabili fine; quia tale facere esset irrationalis, & valde indecens Agenti rationabilissimo, quale est DEUS.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Et putas, quod DEUS Pater, vel S. Spiritus possint rationabiliter judicari potuisse facere tam magnum opus, sicut esset Incarnatio cuiuslibet ipsorum, sine aliquo valde magno Fine?

Amator Veritatis. Nullatenus possum hoc putare; quia hoc esset judicare, quod DEUS possit facere maximum Opus sine Fine proportionato; & manifestum est maximo Operi, quale est Divina Incarnatio, non esse proportionatum qualemcumque finem, sed solùm valde magnum vel maximum Finem; & tale judicium non puto posse fieri, nisi ab homine totaliter insensato, qualis non debet reputari, qui per experientiam non ostendit se talem.

Disci-

Discipulus Lulliana Doctrina. Optimè discurris. Considera nunc, & vide, an possis invenire aliquem magnum Finem, propter quem DEUS Pater, & S. Spiritus potuerint incarnari, vel quem potuerint habere in incarnando se? Et, si aliquis tibi dicat, quod potuerint habere bonum & magnum Finem in incarnando se, pete ab eo, ut assignet, & ostendat quinam sit iste? & assistro tibi, quod nullus assignabit rationabilem Finem; non enim poterit assignare rationabiliter eundem Finem, quem habuerunt DEUS Pater, & S. Spiritus in incarnando Filium; quia ad istum Finem jam est sufficiens & abundans, imo & superabundans Incarnatio Filii, & per consequens ad eundem Finem omnino superflueret Incarnatio Patris, & S. Spiritus. Vel aliter poteris arguere sic: ad quemcunque finem, quem possit & potuerit habere DEUS in agendo ad extra, sufficit Incarnatio Filii; & ita non esset plus sufficiens Incarnatio duarum, nec trium Personarum, quam Incarnatio solius Filii: igitur frustra fieret Incarnatio Patris, vel S. Spiritus, vel utriusque simul ad quemcunque Finem, quem possit vel potuerit habere DEUS. Si ista consideres, & bene intelligas, sufficientem lucem habebis ad videndum Incarnationem DEI Filii esse unicè convenientem, & necessariam ad omnem Finem excogitabilem, quem potuerit DEUS habere in agendo ad extra, & per consequens videbis Incarnationem cuiuslibet alterius Personæ esse superfluam. Et hoc videbis sufficienter ad posseendum convincere quemcunque, qui sit alterius opinionis. Et, si es es verus Philosophus, ostenderem tibi hanc veritatem, scilicet solum Filium potuisse incarnari, in natura rerum creatarum; quia natura earum hoc manifestè ostendit.

Amator Veritatis. Rogo te, ut hoc facias; quia, licet non sim verus Philosophus, tamen spero hoc posse intelligere cum gratia DEI.

Discipulus Lulliana Doctrina. Attende bene: Incarnatio DEI non potest esse, neque intelligi, nisi per Unionem Divinæ Naturæ & humanæ; sed hæc Unio non potest fieri, nec potest intelligi facta, nec factibilis, nisi in Filio: igitur &c. In majori nulla potest esse difficultas; & ita ad probationem minoris attende ad sequentia. In omni essentia & natura est aliquid activum, & aliquid passivum, & aliquid procedens ab activo & passivo, sinè quibus omnis essentia & natura esset inutilis, superflua, otiosa, & sinè ullo fine: quapropter hæc tria sunt concedenda in Divina Essentia & Natura, cum quibus ipsa est omnino completa, perfecta, & habens in se infinitam, æternam, & incessantem Operationem, & cum quibus ipsa est in se satiata in tantum, quod sit in se & intrâ se perfectè beata, & nulla re indigens extra se. Et ita in essentia sive natura ignis est virtus activa, & virtus passiva, ad quam se habet virtus activa, & virtus processiva & unitiva ambarum, in quibus tribus consistit essentia sive natura ignis: virtutem activam vocamus in igne *ignificativum*, quod est forma ignis, & virtutem passivam vocamus *ignificabile*, quod est materia ignis, & virtutem procedentem ab ambabus vocamus *ignificare*, quod est actus intrinsecus & essentialis ignis, & alio nomine dicitur conjunctio procedens à forma & materia ignis, sinè quâ ignis non est, nec potest esse, sicut non est, nec potest esse sinè forma, & etiam sinè materia. Quod dixi de essentia & natura ignis, est intelligendum de omni essentia & natura totius universi, saltem loquendo de essentia & natura substanciali. Percipis ista?

Ama-

Amator Veritatis. Percipio, quia nos dicimus ferè idem, licet alio nomine; quia dicimus, quod omnis substantia habeat in se formam, & materiam, & conjunctionem utriusque; non tamen nominamus eas nisi sub nomine generali formæ, materiae, & conjunctionis cum termino specifico superaddito; & ita dicimus, quod in igne sit forma ignis, & materia ignis, & conjunctionis formæ & materiae ignis.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Quod vos vocatis formam ignis, nos vocamus uno nomine *ignificativum*, & quidem valde bene; quia forma in igne, sicut in qualibet alia substantia est activa, & non utcunque, sed activa in linea ignis, & propterea ad significandum totum hoc nullus terminus est melior, quam iste, scilicet *ignificativum*; & similiter discurre de materia, quæ est passiva in qualibet substantia, & nullo alio nomine potest melius nominari in igne, quam dicendo *ignificabile*; & similiter est de conjunctione procedente ab activitate formæ & passibilitate materiae, quæ optimè nominatur dicendo *ignificare intrinsecum*, sive intra essentiam ignis consistens. Et scire debes, quod ista tria concreta, scilicet *ignificativum*, *ignificabile*, & *ignificare* sint non solùm in igne & intra ignem, sed etiam in igneitate, quæ est essentia ignis, per quam est ipse ignis; quia aliter essentia ignis non esset substantialis; quia non haberet in se activum, passivum, & processivum, per quæ est omnis essentia substantialis, & per quæ differt ab essentiis偶然ibus. Si hæc non intelligis, quia non es verus Philosophus, saltem crede considerando, quod non sit possibile, omnia tibi probari, & maximè illa, quæ à multo tempore scire deberes. Nunc attende, quomodo omnes naturæ & essentiae totius

totius universi uniantur in homine ad constitutionem ipsius.

Essentia, sive natura elementalis, cùm sit infima in universo, non potest assumere aliam naturam, bene tamen potest assumi; quia assumere pertinet ad superiorem, & assumi ad inferiorem; cùm assumere debeat fieri per actionem, & inferior non agat in superiorem, & assumi debeat fieri per passionem, & inferior patiatur sub superiore, & non è converso. Natura autem vegetalis, quæ est superior naturæ elementali, assumere potest & unire sibi naturam elementalem, & de facto eam assumit, & eam sibi unit; & hoc fit sic: natura vegetalis per suum activum, quod vocamus vegetativum, agit in suum proprium passivum, scilicet in suum proprium & intrinsecum vegetable, & agendo in ipsum unit ei naturam elementalem, quam in eo facit vegetabilem & vegetatam, non verò facit eam vegetativam, imò ipsa semper manet elementalis in se, & in vegetali natura fit vegetabilis & vegetata. Iste est infimus gradus, quem mirabilis DEUS posuit in natura creata; ut in eo contemplando intelligeremus mirabile Opus supernaturale Incarnationis, in qua Deitas assumit & unit sibi Humanitatem agente Deificativo, nempe Patre, in suum proprium Deificabile, quod est Filius; & agendo in ipsum unit ei humanitatem, quam facit in eo Deificabilem & Deificatam, non verò Deificativam: imò nec potest hoc facere; quia ipsa debet semper manere & conservari humana natura in se, & in Deitate Deificabilis & Deificata. Ecce! quomodo verus Philosophus in hoc speculo, quod dedit nobis DEUS in infimo gradu naturæ creatæ intellecto, potest conspicere invisi-

invisibilem DEI Incarnationem factam in Filio, & non factibilem in Patre, nec in S. Spiritu.

Ascendamus uno gradu altius, & videbimus eadem DEI mirabilia, quæ, licet in se sint invisibilia, tamen per ea, quæ facta sunt, intellecta possunt conspicere ab humano intellectu. Sensualis natura potest sibi unire, & de facto sibi unit vegetalem naturam, quam facit in se sensibilem, & sensatam, non verò sensitivam; quia, quod non est sensitivum de sua natura, nullatenus potest esse sensitivum; quoniam, si posset, confunderentur naturæ per unionem ad invicem, & destruerentur. Similiter est dicendum de imaginali natura, quæ est uno gradu altior sensuali, & unit sibi sensualem naturam, quam facit in se imaginabilem & imaginatam, non verò imaginativam. Et tandem, ascendendo altius ad supremum gradum, rationalis natura unit sibi omnes inferiores naturas agente rationativo in suum proprium & intrinsecum rationabile, in quo & cui unit eas, & facit ipsas rationabiles & rationatas, non verò rationativas; & per consequens facit eas passivas in se ipsa per unionem cum suo proprio & intrinseco passivo, non verò facit eas activas.

Ex his satis patet, quod id, quod de se, & de sua natura non est vegetale, possit fieri vegetale per unionem cum vegetali natura; & id, quod de se, & de sua natura non est sensuale, possit fieri sensuale per unionem cum sensuali natura; & id, quod de se, & de sua natura non est imaginali, possit fieri imaginali per unionem cum imaginali natura; & id, quod de se, & de sua natura non est rationale, possit fieri rationale per unionem cum rationali natura; & tandem id, quod de se, & de sua natura non est divinale, possit fieri divinale

divinale per unionem cum divinali Natura. Ecce totam scalam naturæ creatæ à minimo gradu usque ad supremum, in quo est Incarnatio & Unio Divinæ & Humanæ naturæ.

Intelligentibus hanc scalam manifestè apparet, quod Divinam Naturam uniri cum Humana sit, Humanam naturam assumi à Divina, & Deificari in Deificabili intrinseco & essentiali, quod est Filius, non verò in Deificativo, quod est Pater, nec in Deificare, quod est S. Spiritus. Si enim elementalem naturam uniri cum vegetali est ipsam assumi à vegetali, & vegetari in vegetabili intrinseco & essentiali ipsius naturæ vegetalis; & vegetalem naturam uniri cum sensuali est ipsam assumi à sensuali, & sensualizari in sensibili intrinseco & essentiali ipsius naturæ sensualis; & sensualem naturam uniri cum imaginali est ipsam assumi ab imaginali & imaginari in imaginabili intrinseco & essentiali ipsius naturæ imaginalis; & imaginalem naturam uniri cum rationali est ipsam assumi à rationali, & rationari in rationabili intrinseco & essentiali ipsius naturæ rationalis; quomodo humanam naturam uniri cum Divina non erit ipsam assumi à Divina, sive à Deitate & Deificari in Deificabili intrinseco & essentiali ipsius Deitatis, scilicet in Filio? Si ista intelligeres, videres, quām bene dixit Apostolus: *Invisibilia DEI per ea, quæ facta sunt intellecta, conspicuntur, & videres, quod, si non conspiciantur per ea quæ facta sunt, hoc inde proveniat, quia ista sunt ignorata.* Videres etiam, quod DEUM incarnari non possit esse neque intelligi, nisi per Unionem humanæ naturæ factam in Filio; si enim humana natura non potest esse, neque intelligi facta Deificativa per Conjunctionem cum DEO, manifestum est, quod ipsa non

non possit fieri Pater per Conjunctionem & participationem cum ipso ; & si ipsa non potest esse, neque intelligi facta Deificare per Conjunctionem cum DEO, manifestum est, quod ipsa non possit fieri S. Spiritus per Conjunctionem & participationem cum ipso. Et, quia humana natura potest fieri Deificabilis, & Deificata per Conjunctionem cum DEO, licet non possit fieri Deificativa, nec Deificare, propterea potest conjungi & uniri cum Persona, quæ est Deificabilis & Deificata, & potest fieri ipsa Persona per Conjunctionem & participationem cum ea in tantum, quod Persona Deificabilis & Deificata, quæ est solus Filius, possit esse Deificabilis & Deificatus Homo cum Humanitate sibi unita Deificabili & Deificata ; quia istud esse, quod assumit, non repugnat esse intrinseco ipsius, imò totaliter concordat cum eo. Si autem Pater, qui non est Deificabilis, nec Deificatus, assumeret Humanitatem Deificabilem & Deificantam, quia aliam assumere non est intelligibile, tunc ipse esset DEUS Deificatus & Homo Deificabilis & Deificatus, & haberet esse per Humanitatem, quod non concordaret cum suo esse intrinseco. Aliquid simile sequeretur in S. Spiritu, si assumeret Humanitatem ; quare soli Filio convenit assumere Humanitatem sine ullo inconveniente ; & propterea DEUS, qui non potest facere, nisi id, quod est conveniens, ut passim legitur in SS. Patribus, & signanter in S. Anselmo jam supra allegato, non potest, nec potuit unquam assumere Humanitatem, nisi in Filio. Si ista non sufficiunt, ut habeas superabundantiam, quam desiderabas, signum erit, quod ea non intelligas ; & propterea, quod dixi, dixi ; & nolo amplius ultra aliquid dicere, licet multa adhuc mihi supersint.

Amator Veritatis. Confiteor, me ista non bene intelligere, quia tales conceptus & talem modum discurrendi nunquam audiveram, nec à mille leucis accesserant ad meam cogitationem ; video tamen, omnia prædicta esse rationabilia, & digna fide inter omnes illos, qui ea non intelligimus ; quoniam valde concordant cum dictis Philosophorum, & aliquorum SS. Patrum manifeste dicentium : quòd Homo sit Microcosmos, & quòd in eo sint unitæ naturæ omnium creaturarum ; quod non video posse esse, nisi per conjunctionem naturarum modo à te supra explicato ; quia video, quòd creaturæ quoad suum esse speciale & proprium non possint esse conjunctæ in uno Homine, & multò minus in pluribus & in omnibus. Et Miror summopere de magnitudine Scientiæ, quam experior in te, quam nunquam credere potuisse, nisi in Homine verè à DEO illuminato ; qua propter precor te per DEUM verum, ut candidè mihi confitearis, unde extraxeris hanc Scientiam, scilicet, an ex libris Lullianis, an verò per aliquam infusionem supernaturalem.

Discipulus Lulliana Doctrinae. Confiteor tibi coram DEO, & JESU Christo, qui judicaturus est vivos & mortuos me non esse sanctum, imò esse vitiosum, & nullam scientiam possidere à DEO immediate, sed totam meam paucam scientiam extraxisse & extrahere per considerationes super ea, quæ intelligo non aliunde, nisi solum ex arte & Doctrina Illuminati Doctoris, quam aliquantulum intelligo. Et scias, quòd plura ex his, quæ audivisti & vidisti in me, noviter discurrerim, quin antea unquam ea cogitassem ; & video, quòd ex hoc modico, quod in Arte Generali intelligo, possem in infinitum semper progreedi extrahendo semper

temper novas Veritates mihi evidentes, & novas rationes, quibus possem easdem Veritates manifestas facere cuilibet, qui animo addiscendi vellet bene attendere & considerare ea, quæ ei dicerem. Et si scientia, quam in hoc modico expertus es, videtur tibi valde magna, non tamen faciliter credas tuo conceptui; quia re vera non est magna, imò est valde modica respectu hujus, quod potest esse, non solum in me, si continuem in studendo & habilitando me in prædicta Arte, sed etiam in quolibet alio. Et, ut scias qualēm conceptum habeam de mea scientia, volo tibi apertè confiteri, quid in me & de me sentiam. Scias igitur, quòd, quandoque mihi contingat nihil legere, sed solum me exercere in speculationibus & discursibus fundatis in generalitate principiorum quorundam, quam aliquatenus percipio, & tunc præ multitudine Veritatum, quas video ferè ex omni parte, mihi videtur, quòd nihil ignorem, sed omnia sciam. Sed quando aliquo tempore me exerceo in legendō & considerando ea, quæ ignoro, tunc præ multitudine eorum, quæ ignoro, & præ magnitudine ignorantiae, quam video in me, mihi videtur, quòd nihil sciam. Itaque, si totaliter obliviscerer meæ ignorantiae, putarem me esse sapientissimum; &, si totaliter obliviscerer meæ modicæ scientiæ, firmiter crederem me esse ignorantissimum & omnino nihil scientem, licet nihil de scientia perderem, sed haberem solum eam in habitu; &, quia nec totaliter obliviscor scientiæ, nec ignorantiae, propterea non totaliter credo, quod quandoque mihi videtur, quia scio, & non totaliter ignoro unquam, me parum scire & multum ignorare. Hæc est confessio Veritatis, quæ in mea mente est coram DEO, licet tibi videatur

valde aliter esse. Non obstante confiteor etiam, quod manifeste videam scientiam, quam possideo mediante Arte Lulliana, esse re vera magnam respectu illius, quam possiderem, si extra intelligentiam praedictæ Artis essem totaliter.

82. Amator Veritatis. Quidquid sit, sufficienter sum persuasus de præstantia & excellentia Lullianæ Doctrinæ ex his paucis, quæ vidi & audivi in te, & à te; & manifeste video, quod sufficient & abundant ad persuadendum universum mundum, ut ferventer amplectantur hanc cœlestem Doctrinam; & miror summopere considerando, quod mundus sit in tanta cœcitate, quod pauci sint bene persuasi, & multi male de hac cœlesti Doctrina.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. In hoc, parce mihi, deciperis; quia non pauci sed plurimi sunt bene sentientes. Si vidisses privilegia Regum, iudicia & approbationes Universitatum, Testimonia Virorum Illustrium ex omnibus Statibus Personarum & Ordinum, quæ habentur in primo Tomo magni Operis Lulliani noviter Moguntiæ impressi, non sic judicares.

Amator Veritatis. Confiteor me ista nullatenus vidisse.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Vide ergo, & imposterum judicabis magis fundatè, & magis secundum Veritatem.

Amator Veritatis. Tamen non potes negare, quod sint pauci in hac Doctrina instructi, & multi de ea malè informati.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Verum est, quod sint pauci in hac Doctrina bene instructi; & hoc non est mirum; quia usque modò pauci habuerunt opportunitatem ad acquirendum ipsam propter defectum librorum per mundum disperforum; &,

&, qui habuerunt unum vel alium librum, non habuerunt sufficientem spem addiscendi per se ipsos sine Magistro ; & propterea non fuerunt multi, qui studio Lulliano se applicaverint, licet semper fuerint aliqui in pluribus Nationibus, ut videre potes, si legas testimonia Virorum Illustrium supra allegata.

83. Amator Veritatis. Ab aliquot annis jam sunt impressi Moguntia aliquot Tomi de hac Doctrina, & tamen audio, quod non habeant multos amatores.

Discipulus Lulliana Doctrinae. Hoc spargunt illi, qui libenter hoc vellent ita esse ; mirum tamen non esset, si non multi distraherentur ; quia aliqui ad emendum eos volunt exspectare, quounque totum Opus sit completum ; & aliqui non volunt emere eos, quia sunt malè persuasi à malevolis, & alii non habent sufficietes pecunias, & ideo non possunt, quamvis velint, ipsos emere ; & plures, qui istos Tomos habent, vel non volunt se perfectè tradere huic studio, vel non possunt ; & ex illis, qui possunt & volunt, sunt plures, qui in studio statim terrentur videndo quandam infinitatem scientiae, quam non intelligunt ; &, quia citò non possunt multa intelligere, desperant putando se tempus & operam esse perdituros, si prosequantur, quin advertant hanc desperationem provenire ab inimico omnis boni, qui de tota sua potestate laborat ad dissuadendum hoc Divinum studium, quia amat ignorantiam, quæ habetur per opiniones & verisimilitudines, & odit scientiam, quæ haberi potest per Lullianas Demonstrationes. Si autem unus vel alius non possit per desperationem à studio Lulliano amoveri, multum addiscit, & multò plus, quam posset addiscere in alio studio ; licet enim à principio occurrant

multæ difficultates, quæ quandoque videntur ei insolubiles, tamen, si habeat patientiam, & diligenter progrediatur in suo studio, istæ difficultates paulatim disparent, nunc una, nunc alia per solam lectionem librorum. Multos tales possem assignare tibi, qui hoc modo facti sunt boni & magni Lullistæ in diversis partibus, quos omitto; quia nullum eorum agnoscis, nec faciliter agnoscere potes. Etiam dico tibi, quod habentes istos Tomos noviter impressos ipsos non intelligere, proveniat ex hoc, quod priores Tomi sint valde alti, & valde difficiles, maximè illis, qui non sunt versati in schola Lulliana; &, quia aliqui putant, quod omnes sequentes Tomi sint futuri æquè difficiles captu, propterea reputant Doctrinam Lullianam valde difficilem, & non multum laborant ad addiscendum eam. Hoc autem non est, sicut putant, ut patet in hoc, quod primus Tomus qui est Magisterium & fundamentum totius artis continens Theoriam altissimam sit difficillimus, & similiter secundus, qui est practica primi; sed tertius etiam Theoricus jam non est adeò altus, sicut primus, nec per consequens adeò difficilis, nec quartus, qui est practica tertii, est tam difficilis, sicut secundus. Similiter quintus jam est minus altus, & magis intelligibilis quam tertius, licet etiam in Theoricis; & sic consequenter omnes sequentes erunt faciliores. Itaque, qui sunt extra scholam Lullianam, & per se ipsos volunt instrui in hac Doctrina, deberent ab ultimis incipere suum studium, ut inciperent à facilitioribus, & sic possent sine multa difficultate se introducere in hoc mare magnum Sapientiæ & Scientiæ DEI.

84. *Amator Veritatis.* Dicito mihi : si aliquis haberet Magistrum, & bene se applicaret, quanto tempore indigeret, ut fieret bonus Lullista?

Discipulus Lulliana Doctrinae. Ad hoc debedo respondere distinguendo gradus Lullistarum ; potest enim unus esse bonus Theologus tantum, vel Theologus & Philosophus simul, vel Jurista tantum, vel etiam Theologus & Jurista & Philosophus simul, vel Philosophus & Astronomus & Medicus tantum, vel etiam potest habere omnes istas Scientias simul deducendo in omnibus ipsis omnes conclusiones ex principiis Artis Generalis : & manifestum est, quod quilibet indigeat multo majori tempore ad omnes istas Scientias, quam ad unam vel aliam tantum. Etiam est distinguendum inter capacitates & gradus Scientiae Studentium, supposita bona applicatione, sine qua parum vel nihil fit in omni schola.

Amator Veritatis. Non loquor de tanto Lullista, qui in pluribus Scientiis sit bene versatus, sed loquor tantum de Theologo, qui ea, quæ tractari solent in Theologia, bene intelligeret, & scientificè duderet ex principiis innegabilibus, & qui consequenter posset quemcunque errorem contra Fidem convincere : & pro tali scire vellem, quantum tempus sit necessarium.

Discipulus Lulliana Doctrinae. Quare desideras hoc scire, habes in hoc meram curiositatem, vel speras inde consequi aliquam utilitatem ?

Amator Veritatis. Spero utilitatem, & non modicam consequi, si tempore non nimis longo videam vel credam, posse fieri unum talem Lullistam ; sum enim mentis suadere multis, ut ad hoc studium applicentur, & spero consequi posse, quod unus vel alius bonæ capacitatis ex mea Pa-

tria mittatur huc ad addiscendum hanc cœlestem Doctrinam, ut postea per ipsum possint instrui alii mei Patriotæ in omni genere Scientiarum, regulando se in eis per Lullianas rationes, quas satis percepi esse valde efficaces & demonstrativas.

Discipulus Lullianæ Doctrinae. Si hoc intendis, consulo tibi, quod, qui huc mittendus est, sit juvenis bona capacitatibus, & avidus Scientiæ, & non est opus, quod sit multum versatus in aliis scholis; quia sufficit, si habeat intelligentiam de forma syllogistica, & sit subtilis, & habeat bonam applicationem & desiderium sciendi; si enim ista bene possideat, poterit cum mea assistentia, & meo labore & diligentia fieri unius vel duorum annorum spatio tantus Theologus, quod nullus ordinarius in alia schola sit ei comparabilis; cum hac tamen differentia, quod ipse erit scientificus & demonstrativus, cum alii sint tantum opinativi, vel, si placeat sic nominare, scientifici fundati in fide, & non in evidentiā intellectuali.

Amator Veritatis. O bone DEUS! Estne hoc possibile? Adeo magnum est hoc, quod dicens, quod non possum totaliter consentire, licet valde desiderem ita esse.

Discipulus Lullianæ Doctrinae. Possibile est sine dubio, & mihi constat per experientiam; &, ut hoc possibile publicè redigatur ad actualitatem, & ut tale videatur à pluribus, si mihi adducas, vel mittas unum talem juvenem, qui sub mea directione velit studere, me offero ad instruendum eum, & promitto, quod intra unum vel duos annos sit futurus potius, plus quam minus omni, quod dixi. Volo tamen me assecurare, quod postea debeat defendere publicè sub meo præsidio Theologicas Theses, quibus possit coram multis

com-

comparere, quantum didicerit: & hoc volo non tantum ad obligandum ipsum ad bene se applicandum, quantum ad obligandum publicum ad credendum, quam potens sit hæc Doctrina super omnes alias. Vellem etiam, quod iste juvenis non esset solus, sed essent cum eo duo vel tres ad minus, ne, si sit solus, sua habilitas attribui possit excellentiæ ingenii plus, quam Doctrinæ; si tamen non posset esse, nisi unus, quod dixi, dixi; & sum paratus ad ostendendum experientiam.

85. *Amator Veritatis.* Sed quid, si hic nollent permittere publicam defensionem talium Thesum?

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Hoc est incredibile, imò credendum est, quod libentissimè hoc sint permisuri; cum hic sint multi Amatores & Amici & Patroni hujus Doctrinæ. Si tamen talis casus ultra & contra spem accideret, volo, quod dictus juvenis veniat mecum Romam, vel Parisios, ubi sum certus, quod nobis sit permittenda publica defensio talium & aliarum quarumcunque Thesum; & talis defensio foret nobis majori honori, & malevolis majori dedecori. Sed spero hoc non futurum esse necessarium; quia, licet audieris, supradictum experimentum non fuisse permissum hic, tamen hoc non debes credere, quia est incredibile, quod noluerint videre hunc casum rarum, & verè mirabilem.

Amator Veritatis. Bene cogitas & valde mihi placet iste tuus conceptus, quem totaliter approbo, & desidero summopere videre ipsum positum in executione; & ego ipse volo esse præsens defensioni prædictarum Thesum, sive fiat hic, sive Romæ, sive in quocunque alio loco.

Disci-

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Fac igitur quod tibi melius visum fuerit, & quantocuyus mitte quem vel quos missurus es in nomine Domini.

Amator Veritatis. Non omittam ullam diligentiam in hoc puncto ; quia adeo magnum desiderium propagandi hanc cœlestem Doctrinam in me accendiſti, quòd non putem, te nec ullum alium habere desiderium majus meo. Ago gratias primò & principaliter DEO, cuius instinctu credo me ad te fuisse directum ; & post DEUM tibi, qui adeo humaniter dignatus es meam insipientiam ſufferre, & me taliter illuminare, & instruere, & rogo te, ut in quocunque tibi poſſim retribuere, confidenter mihi indices, in quaçunque occaſione ſe offerat opportunitas, & nunc & ſemper, & hic & in mea patria, ubi ſtatim, quando pervenero, volo noſtram confeſtentiam cum omni fidelitate poſſibili dare impressioni, attendingendo ad bonum publicum, quod inde proventurum ſpero.

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Quæſo, ne hoc facias, ſed bene, ſi tibi placet, potes eam oſtendere amicis Veritatis, quam poterunt etiam ſibi copiare ; occulta tamen ipſam à malevolis, in quantum poſſis; quia cum iſtis nihil boni efficies; quamvis enim manifeſtissimam Veritatem eis oſtenderes, tamen eam non viderent, quia excæcavit eos malitia ipsorum ; &, quæ veriora ſunt & fi-deliora, accuſarent de falsitate & infidelitate. Si tamen poſſes facere, quòd omnes maledicentes comparerent in publico ad impugnandum Veritates ſupradictas, vel ad propugnandum aliquam falsitatem, vel errorem, vel ſuſpicionem, vel non omnimodam conformitatem cum veriſiſmis fidei Dogmatibus contineri in eis, & in quibuscumque neceſſariò connexis cum eis, hoc eſſet valde bonum;

num ; & ad hoc consulō tibi, ut labores, in quantum possis ; quia, si semel cogerentur maledictores & malevoli comparere coram impartialibus sapientibus , & signanter coram Prælatis Catholice Ecclesiæ, ut publicè constare posset, ex qua parte consistat malitia, falsitas & injuria, & ex qua parte benevolentia, Veritas, & Justitia, appareret etiam publicè esse imponendum silentium omnibus contradictoribus, ut obstruatur os loquentium iniqua ; & appareret etiam, quam gratis persequantur Lullistas , & gladio linguæ eos vulnerare conentur. Nec per hoc dicere intendo, quòd ego, & alii non possimus errare contra Fidem, imò confiteor, quòd hoc faciliter contingere possit ; sed an erremus, non est judicandum ab ignorantibus , & malevolis, sed solùm à Sapientibus bonæ voluntatis : ideoque omnia mea dicta & Scripta humiliter submitto examini & correctioni Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Christi Vicarii, & omnium benevolorum Sapientum, & sum paratus ad emendandum quidquid mihi præcipiat legitima authoritas, & quidquid cuiuslibet Ratio convincat.

Amator Veritatis. Nonne omnia supradicta vera sunt ?

Discipulus Lullianæ Doctrinæ. Vera sunt , ut vidisti ; & si plūs & plūs ea consideres, semper plūs & plūs videbis esse vera ; quia proprietas Veritatis est, ut, quòd plūs consideretur, eò plūs videatur, nisi mala Voluntate aspiciatur.

Amator Veritatis. Si ergo vera sunt, quare non deboea ea omnibus communicare, ut saltem hoc modo honorem Veritatem ? Ego volo hoc facere, quia, quamvis videam quòd insidiosè legentes sint scandalizandi, tamen alii sint ædificandi,

& spero, quod isti sint futuri multi, illi vero pauci. Et, si forte continget, quod aliquis velit aliqua supradictorum impugnare, volo pro meo posse veritatem defendere, quia non multum timeo inimicos Veritatis ; &, si in aliquo essem insufficiens, scribam tibi, & rego te, ut me adjuves ; vel mittam tibi impugnationem, ut tu ipse respondeas.

Discipulus Lullianaæ Doctrinæ. Ego te juvabo in quantum possim ; sed nolo respondere pro te. Volo tamen respondere cuicunque, qui modestè & christiane velit aliquid objicere, dummodo mihi mittat objectionem, & simul notitiam de statu & dignitate, in qua est ; volo enim scire cum quo contendam, & aliter nolo respondere cuiquam.

Amator Veritatis. Ita sit. Sed nostra conseruentia est prelo danda & omnibus communicanda ; &, ut hoc melius fieret, cuperem, quod fieret hic, ne, si fiat per me alibi continget aliquid minus rectum emergere propter meam insufficientiam.


Discipulus Lullianaæ Doctrinæ. Mihi placet, accepto, & conabor, ut fiat quantocius.

V A L E.



2. Dicitur.
vero posci.
redit aliqua
meo posse
timeo ini-
nufficiens,
; vel mit-
ondeas.
uvabo in
pro te.
modestè
do mihi
statu &
m quo
quam.
e conse-
unican-
uod fie-
geret ali-
team in-

cet, 26



TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007



Philos. 243.

